


1789
-1587
-202
789

Erem. Camaldul.

DE VNIVERSA HISTORIA Dominicæ Passionis MEDITATIONES Ad Quinquaginta.

Varsav.

Auctore Reuer^do P. FRANCISCO COSTERO, Doctore Theologo Societatis IESV.



Ex Libris Gregorii Czurylovii Ao 1700.

Te dubitas quod amem? fixum me respice fixus;
Cernitur in toto corpore sculptus amor.

ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini, Architypographi Regij. 1587.

CARMEN AD LIBRVM.

PARVE Liber propera, quo te feret impetus auræ
Cælestis, poteris quolibet esse loco.
Non est cur metuas turrita palatia Regum,
Vel trepides sæuæ classica militiæ.
Vel mercatorem fugias, aut vomere terram
Qui secat, aut tumido nauigat oceano;
Nec cui sunt lites, nec cui sunt otia curæ,
Nec qui sunt primi Palladis arte viri.
Te pueri, iuuenesq́ue, viriq́ue & grandior ætas,
Te teneat cupida sexus vterque manu.
Et cum te manibusque terent, oculisq́ue notabunt,
Sit tibi cura, precor, cordis inire sinum.
O vtinam penitus possis populare medullas,
Accendens castis corda cupidinibus.
Vt norint quo fonte fluat mortalibus ægris,
Et quo sit miseris funere parta salus.
Nec norint tantum, sed crebra mente volutent,
Et meminisse velint, quod meminisse iuuet.
Fixum etenim qui mente geret: non hunc ego nolle
Crediderim, Christo commoriente mori.
Quem non ter lectus moueas, huic pectora ferro,
E duro huic certè corda adamante rigent.
Sed tamen hoc ferrum fornace liquescet amoris,
Atque adamas hirci sanguine mollis erit.

PRÆFATIO AD SODALITATEM SANctissimi Sacramenti in Aquicinctensi Collegio Academiæ Duacensis.

De optima ratione Passionis Dominicæ vtiliter pieq́; meditandæ.



ONSTAT hunc à Deo creato homini finem esse constitutum, vt, quoniam cum cæteris animantibus aliquid ei commune esse voluit, animum tamen cælestem dedit; sensu quidem externa procuret, sed mente hæc inferiora supergressus ad principium suũ Deum ipsum feratur. Quare mirandum est sanè, & tantæ cæcitati condolendum, plerosque condicionis suæ oblitos tam anxiè in res terrenas totos effundi, &, quasi diuina hac mente præditi non essent, animos nihil altum sapiẽtes semper instar vermium repentes humi terræq́ue infixos habe-

re, vt vel ab ipſis brutis animantibus hominis ingratitudo accuſetur, quæ ſuæ naturæ quodam inſtinctu accepti beneficij quandam memoriam videntur retinere. Quibus ne ſimiles habeamini, Sodales optimi, animum & frequenti peccatorũ expiatione purgatũ, & Dominici corporis communione illuſtratũ meditationibus piis imbuere conſueuiſtis; itaque corpore in terra quidem conſtituti, ſpiritum tamen ad cælos ſæpiſſimè transfertis, & cum ſanctis Chriſtoque, ipſo mente verſamini, ſuoque animus principio vt coniungatur laboratis. Hoc veſtrum, imò piorum omnium ſtudium vt promoueam, meditationum aliquam materiam collegi, qua vobis piarum cogitationum, & vtilium contemplationum occaſio præbeatur. Meditationes autem ſunt de doloribus & paſſione Chriſti Domini noſtri: quas vt vobis potiſſimum proponerem, vobisq; commendarem, plures me cauſæ impulerunt. Prima
eſt

est; quia ad commouendos hominum animos, sanctisque affectibus ad Dei amorem variè concitandos, nihil æquè conducit, ac beneficiorum, & tãtorum quidem beneficiorum, tantique Dei ac Domini, seria cogitatio. Solent alij, quibus conscientia peccatis irretita languet, mortis, iudicij, & pœnarum inferni metu, subinde à maleficiis contineri, & ad mentem reuocari: probi autem, & qui charitate magis quàm timore ducuntur, Dominicæ Passionis memoria in Dei charitatem desideriumque effunduntur. Secunda est, quod nullius planè rei facilius se menti obijciat, quàm passionis cruciatuum, molestiarũ, tristitiæ, ac tribulationum, quibus obsiti sumus, & in omni vita planè circumfusi, meditatio. Cælum, extremum Iudicium, Inferni pœnas, & id genus alia, quod conspectum nostrum fugiant, & multis procul abesse videantur, non satis intelligimus, neq; penetramus: At corporis dolores &

anguſtias animi, plures etiam quàm velimus, experientia nouimus. Tertia eſt, quod nullam omnino Chriſto magis acceptam eſſe meditationem orationemq́; ſciebam, quàm eam quæ de ipſius pro nobis paſſione ſit inſtituta. Vt enim victor ad pugnæ ſuæ memoriam gaudet, ita Chriſtum paſſionis ſuæ à nobis repetita memoria æquum eſt delectari: tum quia certamine tam cruento perpetuam ſibi ac nobis, eamq́ue maximè glorioſam victoriã reportarit; tum verò quod per eam grati animi in nobis videat ſignificationem. Quarta eſt, quod nullam humano generi meditationem, magis eſſe neceſſariam viderem, quàm illius rei, ex qua ſola nobis remiſſio peccatorum & iuſtificatio depromitur, omniſque meriti & boni, ſalutisq́; ratio deducitur. Quæ ſanè maxima eſt cauſa, cur Eccleſia, ex Apoſtolica inſtitutione variis modis huius nobis paſſionis memoriam toties reuocandam ſtatuit, ſigno crucis quòd mani-

manibus formamus; variis picturis & imaginibus Dominicæ Paſſionis, quas Laici librorum loco habere conſueuerunt; Ieiunio ſexta feria & ſabbatho, aut à carnibus abſtinētia; Anniuerſaria paſſionis celebritate ſub finē Quadrageſimæ; variis cōcionibus, lectionibus, campanarum pulſu, &c. Atque ipſemet Chriſtus, inſignem nobis, ſalutaremque, & quotidianam ſuæ paſſionis recordationem ſacrę Miſſæ ſacrificium inſtituit, quo mortem ſuam, effuſumq. pro nobis ſanguinem clariſſimè repræſentauit. Quinta deniq; eſt immēſa illa vtilitas, qua maior ex quacunq. aliarum rerum cōtemplatione redundare non poteſt. Vti enim omnia bona paſſionis Dominicæ meritis humano generi ſunt cōparata, ſic in eadē, tanquam in inſtructiſſima officina omnium virtutum & bonorum merces inueniūtur, & ab eadem quàm facillimè petuntur.

Cæterùm ad eas vtilitates facilius comparandas, de optima meditandi

ratione vos putaui admonendos. Errant enim plerique, quod ſatis eſſe exiſtiment, ſi hiſtoriam paſſionis memoria repetant, vel ea cogitata, interna animi ſuauitate afficiantur; cum id tamen nihil ad animæ ſalutem adferat, ſolo intellectu diſcurrere vel oblectari, niſi ſimul affectus & voluntas commoueatur. Etenim neminem epulæ, exſtructæque menſæ ſatiant, ſi oculis tantummodo conſpiciantur, niſi ori ingerantur, dentibus terãtur, & in ventriculum demittantur. Hiſtoriæ quidem cognitio, meditationis cuiuſq; eſt fundamentum, & intellectus ratiocinationes materiam præbent; ſed fructus vniuerſus in eo cernitur, vt voluntas quæ in homine principem locum tenet, variis affectibus moueatur: ea enim ſola meretur apud Deum; ea ſola in Deum amore fertur; ea ſola hominis in Deum dirigit actiones.

Itaq; vt rem totam paucis perſtringamus, qui eandem hanc materiã optimè

pertractarunt, septem illi nobis animi affectiones, quæ hac passione possint cōcitari, designarunt: Compassionem, Cōpunctionem seu doloré de peccatis, Desiderium imitādi, Gratiarum actionem, Admirationem, Spem, & Amorem in Deum; quas vobis paucis, breuiterque explicabo, vt qua ratione vtiliter in sequētibus meditationibus versemini intelligatis: illis quidem meditationibus subministratur vobis materia, quam tamen vos septem his modis velut dentibus teratis, affectuique gustandam & digerendam tradatis.

Prima itaque est Compassio; hoc est, animi affectio, qua patienti condolemus, eiusque dolores quasi in nos transferimus, & si non corpore, saltem animo sentimus; eaque affectione videtur quasi diuisus, & cōmunicatus cum alio eius qui patitur dolor, & lenior mitiorque effectus; vti grauior est, molestiorque si vel patientem irrideas, vel malis eius nihil mouearis. Christus vt

dolores noſtros leniret, pati pro nobis,
& nobis compati voluit, ſicut ait B.
Heb. 4. Apoſt. Non habemus Pontificem qui
non poſſit compati infirmitatibus no-
ſtris, tẽtatum autem per omnia. Et qui-
dem licet Chriſti dolores iam exantla-
tos & abſolutos nos mitigare hoc no-
ſtro dolore non poſſumus; grata eſt ta-
men ei noſtra compaſſio, qua eius paſ-
ſionem atque dolores, quodam modo
noſtros facimus, nobiſque applicamus.
Rom. 8. Proinde rectè dixit Apoſt. Cohæredes
ſumus Chriſti, ſi tamen compatimur,
vt & cõglorificemur. Etenim qui Chri-
ſti patientis in ſe non transfert dolores,
is vtique regnantis cohæres eſſe nequi-
bit. Cæterùm duo ſunt quæ ad hanc
compaſſionem & cõmiſerationem fa-
ciunt. Primo, Perſonæ conditio, nem-
pe Nobilitas, bonitas, in alios pietas, &
ſimilia quæ mali inflicti indignitatem
augent; deinde grauitas immanitaſ-
que pœnarum. Nos igitur ſi commi-
ſeratione affici velimus, in ſingulis ca-

piti-

pitibus expendendum primum quiſnam ſit ille qui patitur. 1. dignitate Deus, qui maieſtate cęlum replet & terram. 2. homo nobilis, ex ſtirpe regia Dauidis, de Spiritu ſancto conceptus in virginis vtero. 3. ſi intellectum ſpectes, doctiſſimus; ſi voluntatem, ſanctiſſimus atque integerrimus, qui nullo vnquam errore aut peccato vel Deum offendit, vel hominem læſit.

4. ſi conuerſationem, grauiſſimus, nunquam ridere viſus, lacrymari ſæpius, & quidē deflendo peccata noſtra. 5. ſi formam totiusque corporis dignitatem, præ filiis hominum ſpecioſus, & complexione tenerrimus. Deinde pœnarum magnitudo, & quibus ſingulas membris ſit perpeſſus, attentius contemplandum. 1. nihil in ipſo vacuum dolore fuit, corpus corporisque omnes ſenſus, anima eiusque potentiæ, denique quicquid in Chriſto fuit, ſuas pœnas ſuſtinuit. 2. pœnæ fuerunt acerbiſſimæ, tum ex corporis tener-

tenerrima cõſtitutione, tum quod nullo interno ſolatio ad ferendum ſuauius ſubleuaretur. Theologorum eſt certiſſima doctrina, neminem vnquam mortalium tales in hac vita pœnas & cruciatus ſuſtinuiſſe quales ſuſcepit Dominus. Si facinoroſum aliquem videamus grauia licet iuſtiſſimè perferẽtem, commouemur tamen, & quantum res patitur, eius in nos dolorum partem aliquam transferimus; imò & canem vel aſinum verberatum grauius miſeramur. Anne igitur deceat nos condolere filio Dei tanta ſufferenti & quidem in gratiam noſtri.

Secunda eſt Compunctio ſeu dolor de peccatis; quando ad horrorem deteſtationemq́ue peccatorum, ex meditatione paſſionis Domini inducimur; quod commodè fiet, ſi primò quidem peccati malitiam, deinde verò quid peccatum Chriſto attulerit, conſideremus. Et malitia quidem in Deum vtpote infinitum, eſt infinita, tantaq́ue vt

(ſalua

(ſalua iuſtitia Dei quæ violari non debuit) deleri niſi re infinita non poſſet. Igitur vel infinita pœna toleranda erat, quæ in creaturam finitam cõuenire nequit; vel tempore infinito, quomodo luunt peccatores in inferno; vel infinitæ dignitatis perſonæ patiendum erat, hoc eſt ipſimet Deo immenſæ maieſtatis. Hinc vlterius progrediamur, attenteq́. conſideremus, quid Deum de cælis in hanc terram traxerit, atque ad paſſionem ſubeũdam induxerit, nimirum peccata noſtra. Niſi enim peccaſſet homo, nec naſceretur in mundo Deus, nec pateretur, nec moreretur. Proinde ſicut peccatori ſua peccata in inferno ſedem parant; & ſicut furi parant ſua furta ſupplicium; ſic cuiuſq. noſtrum peccata Chriſto moriendi neceſſitatem attulerunt. Deteſtanda eſt igitur malitia peccati, quæ ipſum quoque Deum noſtrum ad crucem adegit. Ne verò exiſtimes hinc fortaſſe peccati grauitatem extenuari, quod nõ pro tuis ſolius,

ſed pro totius mundi peccatis Chriſtus mortem ſuſtinuerit, illud cuique debet eſſe perſuaſum, eo non quidem peccati malitiam minui, ſed inſignem Dominicæ paſſionis virtutem indicari, quæ non vnius aut paucorum, ſed omnium prorſus hominum ſimul peccata delerit. Etenim meritum paſſionis cum ſit infinitum, nulla malitia poteſt ſuperari: idq́ue vnum ad peccati grauitatem indagãdam ſufficiet, quod niſi infinito Chriſti merito non potuerit deleri. Vt ergo Solis huius clariſſimi ſi vnus & ſolus lucem percipias, non magis tamen ille ſoli tibi lucebit, quàm ſi cũ cæteris mortalibus eiuſdem ſplendore communiter perfruaris: vtq́ue non minus homini mortem inferas, ſi ſolus cor eius ferro penetrares, quàm ſi ad idem perficiendum alios tibi decem adiungas; ita vel vnum mortale peccatum ad quod expiandum neceſſaria erat mors & paſſio filij Dei, à nobis commiſſum, non minus eſt cauſa mortis Domini, quàm

quàm cum reliquis peccatis totius orbis coniunctum: Neque minus vtilitatis nobis adfert Chriſti paſſio pro totius mundi peccatis ſuſcepta; quam ſi pro me ſolo eoſdem cruciatus & mortem pateretur.

Tertia eſt Imitatio; vt ea nimirum deſideremus ſequi & imitari, quæ in Chriſto contéplamur; vti monet Apoſtolus. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius: Et, Chriſto paſſo pro nobis in carne, & vos eadem cogitatione armamini. Duo ſunt autẽ nobis ad imitandum hac paſſione propoſita. Vnum eſt deſiderium patiendi pro Chriſto, qui tam acerba ſuſtinuit pro nobis. alterum eſt virtutum cumulus, quæ ſi alibi vſquam, hac certè paſſione ſic eluxerunt, vt tametſi verbis ſiluerit Dominus, exemplo tamen de hac quaſi cathedra crucis omnes virtutes doceret, & quidem perfectiſſimè doceret, tum quia nulla interna conſolatione fruc-

1. Pet. 2. *1. Pet. 4.*

fruebatur, quæ tamen interna gratia nostras virtutum actiones solet comitari; tum quia non deerat magna repugnandi recusandique occasio. Nobis itaque in qualibet meditatione erit inuestigandum, quæ in ea virtus potissimè commendetur; tum quo eam modo Dominus exercuisse narretur; demum, excitandum est desiderium, propositumque firmum, eiusdem virtutis adipiscendæ, modusque excogitandus eius comparandæ, & Christi per hanc virtutis ipsius actionem gratia imploranda, ad id quod conceperimus perficiendum. Elucent autem in hac passione virtutes quidem omnes, sed eæ potissimùm, quas toties scripturæ nobis commendarunt. 1. Humilitas, qua multis modis irrisus, alba veste purpuraque indutus, spinea corona redimitus, latroni Barrabæ postpositus, in medio latronum crucifixus, aliaque plura id genus ad contemptum, & ludibrium perpessus, demissè semper se

habuit. 2. Manſuetudo, qua benignum ſe omnibus moderatúmque ſemper exhibuit; mala patientiſſimè tolerauit; & admirabili ſilentio ad omnes iniurias, conuitiáque conticuit; excuſationes nullas adhibuit; neminem ſua loquacitate offendit; nihil vnquam dixit aſperius cuiquam aut fecit.

3. Obedientia, quæ tunc ſanè vel maximè commendationem meretur, quando & difficilia, & ab impiis imperantur. Fuit autem Chriſtus non Patri *Philip. 2.* ſolum obediens vſq. ad mortem, mortem autem crucis, ſed impiis quoque iudicibus atque tortoribus, quibus vt veſtes exueret, purpuram indueret, coronam ſpineam ſuſciperet, crucis lignũ humeris ipſe ſuis ferret, ad clauos manus pedeſque porrigeret, aliáque multa imperantibus, ſimpliciter, alacriter & conſtanter obtemperauit. 4. Charitas, quæ tum demum ſuis videtur eſſe numeris abſoluta, cùm propter Deum non ſolùm amicos, ſed ipſos

quoque hoſtes nobis peſſimè volentes, & ſummo proſequimur amore, & pro hoſtibus nunquam, ſed pro amicis habemus; quod quidem cumulatiſſimè Dominum videmus præſtitiſſe, qui de perfectiſſima ſua in nos charitate lo-
Ioan. 15. quens dicebat: Maiorem charitatẽ nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Cùm enim maior eſſe videatur charitas, ſi animam ponas pro inimicis; maior tamen eſt ea charitas, quæ nullos agnoſcit inimicos, ſed ipſos etiam hoſtes reputat amicos, eiſque non minus quam amicis benè facit. Iam verò Chriſtus ea ſuos inimicos eſt charitate cõplexus, vt quo plura ab eis ſuſtineret, hoc magis ſemper in eos inardeſceret amor, ac beneficiis ſemper maioribus cumularet, non aliter quam ignis folle agitatus incaleſcit magis. Igitur toto quidem paſſionis tempore pro inimicis Deum Patrem
Pſal. 108 orauit: Pro eo, inquit, vt me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.

ſed mente, non voce. Cruci autem affixus, fuſoque ex quatuor fontibus manuum & pedum ſanguine, elata iam voce pro crucifixoribus rogauit: demũ expirans etiam corda aſtantium ad fidem & pænitentiam ſumma charitate commouit. 5. Miſericordia, quæ filia eſt charitatis. Hac nobis Dominus veſtes, honorem, famam, boni nominis exiſtimationem, florentem ætatem, vires, ſanitatem, ſanguinem & animam donauit. 6. Contemptus mundi, quo illa omnia quæ mundus admiratur, & in bonis habet, repudiauit; ſuſcepit autem illa à quibus mundus abhorret. Pro diuitijs, extremam elegit paupertatem; pro honoribus contemptum; pœnas pro delicijs; pro fauoribus irriſionem. 7. Perſeuerantia, qua nec matris dolore victus; nec amicorum triſtitia motus; nec hoſtium irriſione ſuperatus; nec corporis tormentis fractus de cruce vnquam deſcendere voluit, quam

ſemel pro ſalute tua conſcenderat.

Quarta eſt Gratiarum actio, qua beneficia in nos collata contemplantes, in laudes prorumpimus, non verbis modò, quæ eſt laus & actio gratiarum minima; ſed corde potius & operatione, vt & mente acceptum beneficium recolentes magni illud faciamus, & ab omni offenſa benefactoris caueamus, & omnibus in rebus occaſionē rependendi ne prætermittamus. Quinque porrò ſunt quæ ad gratitudinem mouere ſolent: 1. malum quod euaſimus: 2. bonum quod beneficio accepimus: 3. dignitas benefactoris: 4. modus collati beneficij: 5. conditio perſonæ in quam beneficium confertur. Vt ergo ad gratitudinem inducamur, cogitandà nobis ſunt.

1. mala à quibus hac Chriſti paſſione erepti ſumus; peccatum omnium malorum maximum; mentis cæcitas, cordis durities, ſeruitus diaboli, fœditas animæ, præſens periculum æterni

ignis

ignis, ita grauis vt cogitationem ſupe-
ret; ita diuturni vt finē neſciat; ita cer-
ti vt ſine Chriſto nequeat vitari. 2.
bona quæ accepimus: gratiam, iuſti-
tiam, adoptionem filiorum Dei, ſacra-
menta, ſacrificium, virtutes, promiſſio
vitæ æternæ, denique bona omnia cor-
poris & animi, interna atque externa:
Nihil eſt enim bonorum in vita huma-
na, quod non Chriſti paſſio nobis vel
donauit vel conſeruauit. 3. perſo-
næ dignitas. Vt enim ſolet propter di-
gnitatem maius dari ſtipēdium docto-
ri vel homini nobili pro exiguo officio,
quàm ruſtico pro graui labore; ita, ma-
iores gratiæ habendæ ſunt digniori.
Quę tandem ergo Chriſto, qui eſt infi-
nitæ dignitatis, exhibebitur gratitu-
do? 4. modus præſtiti beneficij; gra-
tis, & non ſine ſummo labore; Cælum
& terram cōdidit Deus, nulla ſuſcepta
moleſtia, verbo ſolo; redemit autem te
doloribus, ſanguine, & vita ſua; omni-
buſque collatis, nihil à te præter lau-

dem, & gratiarum actionem requirit.

5. Personæ conditio, cui beneficium præstatur; si vilis, si hostis, si ingratus. Nos porrò quid sumus? Nam si
Sap. 11. orbis terrarum (vt ait Sapiens) ante Deum est sicut gutta roris antelucani qui descendit in terram; quid erit ad Deum collatus homuncio vnus, qui nihil est si cum vniuersa hominum multitudine, ipsoque orbe conferatur? vi-
Iob 17. litatem nostram expressit S. Iob: Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus. Iam verò non solùm viles sumus, sed hostes quoque eramus, alieni à Deo & auersi, eiusque neque quęrentes gratiam neque petentes, quin potius respuentes oblatam. Hæc igitur expendens, 1. ereptum te ex summis, certissimis, æternis malis, 2. donatum summis & infinitis bonis, 3. à summo & infinitæ maiestatis Deo: 4. tantis laboribus ac pœnis quantas creatura nulla mortalis sustinuit; considerabis anne æquum sit,

tam abiectam creaturam in laudes & gratiarum actionem diſſolui.

Quinta eſt, In ſpe concipienda: Trium rerum conſideratione non parum vacillat ſpes noſtra & infirmatur, 1. ſplendoris qui ad vitam æternam requiritur, in quam nihil intrabit vel immundum, vel inquinatum, *Apoc. 21*

2. exacti examinis iudicis, qui etiam de otioſo verbo exiget rationem, penetrabitque vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, ſcrutabiturque cogitationes & intentiones cordis. *Hebr. 4.* 3. vilitatis noſtræ, qui & quotidianis peccatis Dei iuſtitiam offendimus, & pleni concupiſcentiis, ac imperfectionibus viuimus, & cordis noſtri interiora ipſimet nō penetramus. & ſi ſimplex fuero (ait Iob) hoc ipſum ignorabit anima mea. *Iob 9.* Huic porrò diffidentiæ medetur paſſio Chriſti, animumque hominis peccatoris, in ſpem erigit atque ſuſtentat. Nam

1. vt gloria æternæ vitæ magnam munditiam requirit; ita Chriſti paſſio

 & ſan-

& ſanguis, lauat omnes iniquitates no-ſtras, animam Sole reddit clariorem, ef-ficit filios Dei, dat ius ad vitam æter-nam, vt non iam in alienam, ſed in noſtram hæreditatem ingrediamur.
2. eſt quidem diſtrictum Chriſti iudicium, ſed paſſionis huius merita ſeueritatem hanc perferre poſſunt: cum maior ſit ſatisfactio, quàm debita: & peccata numero ſint finita, merita au-tem magnitudine infinita: & denique quia iudex erit, qui fuit aduocatus, me-diator, redemptor, qui vt cælum tibi daret, eius tibi pretium obtulit, ſan-guinem, inquam, pro te fuſum, cuius ipſe quē magno labore fudit, non igno-rat dignitatem. 3. vilitas noſtra eſt magna illa quidem, vt qui ex nobis nihil poſſimus quaſi ex nobis, ſed gra-tia paſſionis merito nobis communica-ta, admirabilem addit animis noſtris ſplendorem, dimittit peccata omnia, addit vires & facilitatem operãdi, ope-ribus noſtris ſufficit dignitatem, vt vi-
tam

tam æternam mereantur. Spes igitur noſtra erigetur, ſi opes omnes Chriſti, eius omnia merita, omnia ieiunia, labores, pœnas, & quæcunque demùm vel fecit, vel ſuſtinuit, cogitemus, non aliter noſtra eſſe, quàm mariti bona ad vxorem pertineant, quibus ipſa ad debitorum ſuorum diſſolutiònem, aliasq́. neceſſitates vti poſſit.

Sexta, Amor Dei. Amorem porrò excitat, 1. rei ipſius quæ amatur, nobilitas & pulchritudo, quomodo pulchritudine virtutum & ſcientiarum ad eas inardeſcimus. 2. Amor, ſi priores diligamur. Cæterùm ad amorem augendum conducit, 1. ſi non verbis modo, ſed magnis quoque beneficiis fiat amor teſtatus. 2. ſi magno labore & incommodo amantis hæc beneficia comparentur. 3. ſi iniuria affectus & repulſam ſæpius paſſus, amorem nihilominus concidere non patiatur. 4. ſi his omnibus ſuis moleſtijs & laboribus nihil quærat quam

redamari. Et hæc quidem omnia Christus ſua paſſione exhibuit. 1. dilexit opere & veritate, omniaque bona donauit. 2. magno ſuo incommodo pro nobis factus egenus vt nos ditaret, omnia mala aſſumpſit, vt nos repleret omnibus bonis. 3. toties à nobis repulſus, nihil de amore tamen remittit. 4. denique à nobis præter amorem nihil requirit. Ama (inquit) & ſufficit. Vt ames porrò ſeruandæ erunt amantis conditiones ac leges, quas hac paſſione ſua Christus expreſſit. 1. eſt, vt de re amata perpetuò cogitemus, idque ipſius Chriſti exemplo, qui vt noſtri memoriam nunquam deponeret, in manibus nos ſuis inſculpſit. 2. vt de ea frequenter loquamur: ex abundantia enim cordis os loquitur; & id quoq. Chriſti exemplo, qui in ipſa etiam cruce de nobis cum Patre eſt collocutus, eumque pro nobis orauit. 3. vt nihil æquè vereamur quàm amatum offendere; quod te Chriſtus docuit, qui ſuam paſſionem

Mat. 12.

omnia-

omniaque ſua eo retulit; vt in ſui te amorem prouocaret. 4. vt totos nos impendamus in rebus amici commendandis & promouendis; Chriſtus enim nō ſibi ſed nobis laborauit. 5. vt amici præſentiam depoſcamus; ſunt enim Chriſti deliciæ, eſſe cum filijs hominum, qui nos terra marique, in aëre, & in inferno quæſiuit, vt inuentos ſibi in æterna beatitudine coniungeret, ſuamque nobis diuinitatem communicaret. Prou. 8.

Septima denique ac poſtrema meditandę paſſionis ratio ex admiratione naſcitur. Admiratio autem, re aliqua noua, inſolita, & incredibili ſolet excitari. Quatuor porrò ſunt quæ faciunt Chriſti Domini paſſionem vehementer admirabilem. 1. Quod paſſus ſit ille, in cuius maieſtatem paſſio non cadit; qui eſt gloria & gaudium ſanctorum; cuius dignitas eſt infinita, vita eſt æterna, ſublimitas immenſa. 2. Quod pro illis paſſus ſit à quibus patiebatur, hominibus vilibus, hoſtibus, ingratis.

3. Quod talia ſit paſſus, qualia nemo ſuſtinuit mortalis homo, tam ſi cruciatus ſpectes, quàm ſi ignominias, irriſiones, paupertatem, aliaque vitæ mala. 4. Quod cum hac paſſione humanum genus redemerit. ad hoc perficiendum modo admirabili ſit vſus. Nam 1. Cũ ſumma corporis infirmitate, ſummam qua diabolum principem mundi proſtrauit & ſuperauit, coniunxit potentiam. 2. Summa iuſtitia cum ſumma miſericordia conuênit. nam homini faciens miſericordiam, in ſe ſuſtinuit Diuinæ iuſtitiæ ſeueritatem. 3. Summa ſapientia eluxit in ea quæ hominibus putaretur ſumma ſtultitia. Siquidem
1. Cor. 1. crux Chriſti Iudæis quidem eſt ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia. Magna porrò fuit ſapientia, 1. Callidiſſimum hoſtem arte & patiendo ſuperare, ijſdemq. armis quibus ſuperior euaſerat, deijcere. 2. Tali ſupplicij genere nos liberare, in quo & medicinam reponeret omnium morborum noſtrorum, &

exempla

exempla omnium virtutũ proponeret, & flammas amoris excitaret. Siquidem nihil vſqueadeò nos prouocat, vel ad imitationẽ Chriſti, vel ad amorem Dei, quàm iſta Dei noſtri acerbiſſima paſſio. Et hæc quidem de affectibus ſufficiant.

In his porrò meditationibus vt ad animarum noſtrarum ſalútẽ cum vtilitate fructuq́. verſemur, pauca iſta viderentur obſeruanda. 1. Vt ne imparati ad meditãdum accedamus; ſed (vt monet Sapiens) ante orationem præparemus animam noſtram: quæ præparatio in eo conſiſtit, vt depoſita peccandi voluntate, in manus Deo nos tradamus; mentemq́. externis cogitationibus & curis exuamus; & demùm à Chriſto gratiam ſollicitè petamus, ad fructum ſalutarem hac meditatione capiendum. 2. Vt primum quidem vnius § Euãgelicum textum, deinde verò illius etiam hiſtoriæ meditationem, vel totam, vel ex parte perlegamus. 3. Vt ſepoſito libello, nobiſcum ipſi quæ lecta ſunt repetamus,

Eccl. 18.

petamus, & quis in illis affectus concitari possit consideremus, eumq. in nobis commouere ne prætermittamus. 4. vt in colloquium cũ Deo & orationem ex affectu iam concitato erumpamus, Deumq. vel laudemus vel admiremur, vel pro impetranda peccatorum remissione, aut aliquo beneficio precemur; vel deniq. ea proloquamur, quæ mens excitata dictabit. Profuerit etiam à capite has meditationes auspicari, tum vt historiam passionis melius retineamus; tum vt sensim à minoribus ad maiora veniamus.

Cæterũm in his meditationibus quo gratiores essent & vtiliores, nihil admiscui quod solidum non sit & probatum, ne incertitudo vel detrahat auctoritati, vel deuotioni sit impedimento: siquidem nihil allatũ est ad historiam, nisi quod Scripturæ loquuntur, vel Patres confirmant, vel traditio ipsa pro indubitato habet: documenta quoque ipsa quæ meditationibus adiunguntur,

magna

magna ex parte aut ex veteribus depromptа ſunt, aut ex recentioribus illis qui de ratione meditãdæ paſſionis Domini, vtiliſſimè conſcripſerunt. Quædam porrò meditationes de induſtria prolixius excurrunt, illæ præſertim quæ vel multum ad commouendos affectus valent, vel ſeparatim pro concionibus proponi poſſunt. qualès ſunt de ſeptem verbis illis quæ de cruce loquutus eſt Dominus. Volui enim hoc libello non ſolam contemplandi rationem promouere, ſed ipſis quoque prodeſſe concionatoribus, vt vtiliter & populum doceant, & animos varijs modis cõcitent.

Vobis autem Sodales optimi, placuit hunc meum qualemcunq. laborem dicare, vt quibus ex inſtituto propoſitum eſt ſacrum Chriſti Domini corpus in ſanctiſſima Euchariſtiæ hoſtia venerari & ſumere, eiuſque honorem aduerſus hæreticorum blaſphemias tueri, huiuſmodi meditationibus ad ſacram Chriſti menſam acceſſuri, memoria (vt Dominus

minus

minus præcepit) repetatis paſſionem, mortemque & ſepulturam eius; veſtraque corpora in verum Dominici corporis ſepulchrum aptetis; animisque ei laudes actionesq. referatis gratiarum; eiusque incenſi amore, qui ſe totum vobis eſt elargitus, totos vos viciſſim in eius obſequium & proximorum auxilium impendatis. Precor autem vt in huius mei laboris mercedem orationes veſtras pro me Chriſto paſſo, mortuoque offerre dignemini. Valete. Antuerpiæ 17. Ianuarij. 1587.

Veſter in Chriſto ſeruus

Franciſcus Coſterus.



DE PASSIONE DOMINI,

MEDITATIO PRIMA.

De egreſſu ex domo cænæ.

Hymno dicto, egreſſus eſt IESVS trans torrentem Cedron, ſecundùm conſuetudinem, & ſecuti ſunt eum diſcipuli eius. *Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 18.*



CHRISTVS paſſionem ſuam exorſus eſt, 1. ab oratione, 2. ab egreſſu de loco cænaculi; tum vt ne caperetur quaſi comeſſator aliquis, ſed vt generis humani orator apud DEVM, atque patronus; tum ne hoſpiti apud quem cænauerat, aliquod incommodum paſſio ſua adferret, quæ omnibus prodeſſe, nulli autem obeſſe debebat. 3. Tranſiuit Torrentem Cedron, qua via olim Dauid fugit Abſolonem filiũ. *2. Reg. 15* Torrens in ſacris literis res incommodas vitæ humanæ ſignificat, vt ibi; Torrentem pertranſiuit anima noſtra. *Pſal. 123* Quam omnem calamitatem

valde vehementem Christus magna animi constantia vicit. 4. Abiit in montem Olíueti. Mons excellentiam, Oliua charitatem designat. Hîc tu considera, quòd Christus passionem suam aggressus est, multa, incitata, feruidaq́. oratione, magna animi constantia, eximiaque charitate; in quibus eum virtutibus quàm exercitatissimum fuisse, ex hisce colligitur verbis, [Secũdùm consuetudinẽ.] Ad easdẽ porrò virtutes te simul inuitat, cùm Apostolos secum abduxit. Nisi enim studium in oratione ponas, nisi malarũ occasionum fugias pericula, nisi firmum propositum adhibeas, nisi charitate sis in Deum inflammata, nisi denique diligenter virtutes excolas, nunquam poteris tentationibus superior euadere. Sequere igitur cùm Apostolis Dominum; & roga ne te deserat, neque derelinquat.

Tunc ait discipulis suis: Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista
Mat. 26. nocte. scriptum est enim: Percutiam
Mar. 14. pastorem, & dispergentur oues gregis; postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.

Prin-

PRINCIPIVM dolorum in passione Christi à discipulis sumitur, qui fuga sibi consulentes omnes vel in fide nutarunt, vel ore Dominum negauerunt. Perpende singula verba: [Omnes].i.ne vnus quidẽ pro me stabit: [vos,].i. quos tãtis beneficiis cumulaui, tamq́. charos habui: [scandalum patiemini] .i. peccabitis, futuri alieni à me, & nemo prorsus vestrũ huius passionis tempore, vacuus erit à peccato. Patiemini quidem scandalum, at ego illud nõ dabo. [in me,] ex cuius dictis & factis offensionẽ accipere, post tot inspecta admirabilia opera, iure nõ poteratis. [in ista nocte].i.iam iam, vel in nocte ignorãtiæ. Nunc refer animum ad teipsum, & circũspice an non etiam hæc in te cadant; in te, inquam, cui DEVS multa bona præstitit, cuius tamen consiliis factisq́ue offenderis. Nam illa vitiosi animi tui offensio in rebus aduersis, in Christum Deum refertur, qui calamitates vel immittit, vel permittit: verùm huiusmodi scandalum oritur in nocte. i. à cæcitate tua: nam si similiter intuereris, tum beneficia à Deo accepta, tum præmia tibi præparata, tum mala à te commissa, nunquam in animũ induceres

vllis incommodis velle commoueri. Cogita hic ergo causam offensionis atque scãdali; malam, inquam, & inquietam voluntatem; rogaque Deum, vt illuminet tenebras tuas : quia nulla tibi vnquam iusta indignationis causa præbetur. Promittit Christus se præcessurum in Galilæã, qua promissione bonitatem suam declarat, qui non prædicat afflictiones sine spe consolationis. Admirare Christi benignitatem, & ora ne patiatur te tentari supra id quod potes, sed faciat cum tentatione prouentum vt possis sustinere.

Respondens autem Petrus, dixit ei: Etsi
Mat. 26. omnes scandalizati fuerint in te, ego
Mar. 14. nunquam scandalizabor. Dixit illi Iesus: Amẽ dico tibi, Petre, quia hodie in nocte hac, priusquam gallus bis vocem dederit, ter me negabis. Dixit illi Petrus; Etiamsi oportuerit me commori tibi, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.

Apostoli post Dominici corporis communionem, firmum rectè viuẽdi propositum statuerant, feruentes erant, Christum

ſtum ſeqnebantur;vt etiam tu frequenter, potiſſimùm verò poſt ſacræ Eùchariſtiæ ſumptionem,de vita tua melius efforman-da ſeriò conſtituas. Verùm tempore con-ſolationis cogitandum tibi quoque eſt, de tempore deſolationis, & rerum expecta-tione contrariarum, ne inani confidentia ab oratione deſiſtas. Propones igitur bo-na,ſed coram Deo, cuius auxilium petens vigilanter ages, ſingulaſque actiones tuas obſeruabis. Noli eſſe temerarius, aut ne-gligens, Nam ſi lapſus eſt Apoſtolorum Princeps, Eccleſiæ fundamentum & pe-tra, qui ex charitate locutus fuerat fiden-tiùs;quomodo non labetur is qui faſtu aut ambitione, aliáue cauſa multum in ſeipſo fiduciæ collocauerit, qui rarius vitæ emẽ-dandæ animum conceperit,qui Deum ob oculos non propoſuerit? Contemplare hîc etiam, non fuiſſe mediocrem eã Chri-ſti triſtitiam, cùm diſcipulos tam charos, & bene affectos erga ſe, relinquere iam, & triſtes reddere ſuo abitu, ac conturbatos deberet. Hic locus peroportunus eſt, ad meditandum de his quæ conſolationis tẽ-pore in ſe experitur homo; vt ſunt, quies animi, gaudium, illuſtratio mentis,&c. &

contra quæ tempore desolationis sentit, nempe perturbationem, acerbitatem, mẽtis obnubilationem, vt in prosperis bona sibi proponat, quæ in aduersis non mutet. Ora Christũ, vt te in aduersis non deserat.

MEDITATIO II.

De ingressu in hortum.

Mat. 26. Mar. 14. Ioan. 1. Tunc venit Iesus cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani, vbi erat hortus in quem introiuit ipse &. discipuli eius.

INTVERE locum vbi Christus passionem suã auspicatus est: nempe primò, iuxta villam seu prædium, 2. in Gethzemani, quod innuit vallem pinguẽ. 3. in horto. Nam per peccatum accepimus villam sordidã, hoc est, terrena & fluxa, ac suopte nutu in terram dilabentia; voluitq. Christus inde ordiri redemptionem nostram quo abacti eramus per peccatum. Gethzemani, aut vallis pinguis, vti rectè significat vallem misericordiæ, ita satis innuit passionem Christi opus fuisse maximæ misericordiæ atque clementiæ, quæ terrã hanc innumeris miseriis circumfusam in locum

affluen-

affluentem misericordia commutarit. Cõsidera igitur hunc mũdum similitudinem habere vallis lutulentę, in qua multum est cæni & sordium, quibus sordibus homines conspurcati recedunt à Deo; iis verò qui Christum sequuntur, eundem hũc mundum esse velut officinam quandam miserationum Domini, & meritorum nostrorum, in qua sola dum vitá suppetit, & misericordia effusè donatur, & bonis operibus ea præmia comparantur, quę in æternum suos non deserunt. Cæterùm erat hortus in quo Christus orauit, quandoquidem in horto peccauit Adamus, & in horto deliquimus omnes. Quid enim est aliud mundus, quàm hortulus quidam, ipso aspectu amœnus, vbi variæ herbæ, & pulchri flosculi oculos delectant, nõ mentem? Ramusculi & flores sunt omnia quæ mundus admiratur, quæ sicut ex humo originem ducunt, ita breui marcescunt. Denique discipulos Christus ad locũ passionis deducit, quæ quidem fuit vltima ab eo facta deductio Apostolorum; vt scias à te Christum contendere, vt magna sedulitate ac studio eius passionem mediteris, atque imiteris. Roga Dominum, vt

tibi sordescat hic mundus, qui Christo causam omnem passionis attulit.

Mat. 26. Maa. 14. Luc. 22. Tunc dixit discipulis suis, sedete hîc donec vadam illuc & orem. Orate, ne intretis in tentationem.

CONSIDERA, si in tentationem intrare nolis, hoc est, à tentatione vinci & absorberi, sedendum tibi esse atque orandum. Sedemus autem, dum animi quiete, illaq́. pace interiori præditi sumus, quam vera humilitas conferre solet. (qui sedet enim, submittit se vt firmus quiescat.) Orandum est, quia oratione impetratur victotia aduersus dæmonem: & orandum quamdiu orat pro nobis Christus. Hic interim attẽde socordiam & inertiam tuam, qui nulla conscientiæ sollicitudine teneris, cùm pro te etiamnum ad dexteram Patris residens, mirificè sollicitus sit Christus, quo pacto te saluum faciat. Intrare in tentationem, est intus & foris occupari & absorberi malis. Qui enim tentatione deiicitur, is neque intus pacem habet, neque foris veram cõsolationem percipit, vbi mentem nihil satiat, sed grauat. Ex quo illud etiam sequitur, quòd qui hic intrat in tentationem, is

postmo-

poſtmodum intrabit in gehennam; ſicut qui hic eſt in gratia Dei, is poſtea intrabit in gaudium Dei.

Et aſſumit Petrum & Iacobum, & Ioannem ſecum. *Mar. 14.*

CONSIDERA quanto cum dolore cæteros diſcipulos reliquerit mœſtus ipſe mœſtos. Hos tres ſocios aſſumpſit, vt ſingularem animi ſui triſtitiam aperiret illis, qui ſoli ex omni diſcipulorum numero gloriam eius viderant in monte Thabor; *Mat. 17. Mar. 9.* quique ad vitam excitatæ filiæ Iayri Archiſynagogi ſtupendo miraculo interfuerant. Nam quo quis perfectior eſt, Deoq. coniunctior, eo magis experitur vim in ſe Dominicæ paſſionis, ſicut de ſe B. Paulus confitetur. Conſidera itaque quales hi fuerint, quos Chriſtus comites adhibuit, Petrus Eccleſiæ paſtor; Ioannes virgo, cuſtos virginis Matris futurus; Iacobus Apoſtolorum primus martyr; vt hinc intelligas, nihil ita ſubleuare curas, aut lenire moleſtias cuiuſuis officij, nihil tam promouere caſtitatem, aliaſque virtutes, nihil denique homini ſic eſſe præſidio quibuſuis in laboribus pro gloria Chriſti ſuſceptis, quã memoriam paſſionis Chriſti. Adſciſcit etiam

duos cognatos suos, vt videas ad quas dignitates soleat Christus prouehere sibi cõiunctos, scilicet ad ferendas calamitates innumeras huius vitæ, vt deinceps afficiãtur præmiis in futura vita. Tu pete in hoc mundo pro peccatis tuis affligi potius, quàm post mortẽ diuturnis pœnis à Christo separari.

MEDITATIO III.

De angustia Christi in horto.

Mat. 26. Mar. 14. Et cœpit pauere, tædere, contristari, & mœstus esse.

QVIA peccata prius in animo committuntur intus, quàm foris exeant in opus; voluit Christus antè percipere dolores cordis, quàm corporis, vt scires eum non corpore tantùm, sed animo etiam grauiter fuisse afflictũ. Designantur autẽ ab Euangelistis, quatuor dolorum præcipua genera, quos Christus in horto suapte voluntate admissos ad mortem vsque retinuit. Primus erat pauor & formido quædam imprimis grauissimarum pœnarum imminẽtium, atque adeò funestæ mortis, quam natura supra modum semper exhorret;

deinde

deinde peccatorum totius humani generis, quæ ſuſcipienda erant per eum in hortulo, & ad modum veſtimenti, quod ex omni genere fæditatis contextum eſt, induenda, quibus in actione hac tragica omnium impiorum perſonam coram Deo ſuſtineret. Secundus dolor erat tædium; quo eum tædebat omnium rerum in hac vita, cùm ſe videret planè deſertum, non ab hominibus ſolum omnibus, ſed à Patre quoque cæleſti. Huic ſuccedebat triſtitia, primùm quidem ob grauia peccata, quibus Iudæi in eius nece ſeſe obſtringerent; tum ob exiguũ eorum numerum, qui huius tantæ afflictionis futuri eſſent participes; præterea ob perfidiam tuam aliorumque Chriſtianorum, qui, quem ipſe pretioſum ſanguinem fuſurus erat, & verbis blaſphemis proſcinderent, & grauiſsimis ſceleribus contaminarent. Quartus fuit mœſtitia, hoc eſt, grauis animi anxietas, dum videret nullum ſibi eſſe effugij locum. Hinc enim perurgebat iuſſio Patris, inde ſummus amor humani generis excitabat: contra verò reformidabat natura. Hos igitur quatuor affectus in ſe Chriſtus ſuſcepit, vt medicinam adferret peccatoribus,
qui

qui ſimilibus affectionibus agitãtur. Nam in perpetuo tædio ac faſtidio verſantur, dum nullis vnquam rebus contenti viuũt; & triſtantur, dũ ſtimulis impelluntur conſcientiæ; & timore comprimuntur, dum ad mortis memoriam contremiſcunt; & in mœrore anxietateque vitam exigunt, dum peccata diſtricto Chriſti iudicio examinanda cogitant; quod potiſsimùm in hora mortis euenit, quando pro foribus adeſt Chriſtus iudex. Tu Dominum roga, vt hi eius affectus tibi fortitudinẽ, alacritatem, gaudium & ſecuritatem adferant.

Mat. 26. *Mar. 14.* Et dixit illis, Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.

SINGVLA verba prudenter expendamus. Non enim ait, timet aut pauet anima mea, ſeu pertæſum eſt vitæ, ſeu mæſta eſt anima mea, ne videretur potius inuitus, quàm ſua ſponte adire dolores paſſionis. Sed [triſtis eſt,] nõ ſolũ ob varias triſtitiæ cauſas, ſed etiam vt daret ſignificationem, verum eſſe hominem qui pateretur. [Anima mea:] nõ inquit triſtis ſum ego, quia voluntas gaudebat & mori deſiderabat; ſed anima mea, natura videlicet, quæ voluntatem non attingebat. Deinde anima

[anima mea].i. mœror interius in animã desæuijt; ne putares ob diuinæ naturæ cõtemplationem assiduam, dolores ab anima non fuisse perceptos. [vsq. ad mortem] .i. vel quòd ea tristitia ad mortem vsque perdurarit, non tamen vlterius producta sit: vel quòd tam erat intensa, tamque excellens, vt citra periculum mortis, maiorem ferre natura humana non posset. Roga Dominum, vt hæc eius tristitia adferat vitam animæ tuæ.

Sustinete hic, & vigilate mecum. Et ipse auulsus est ab eis, & processit quantum est iactus lapidis. *Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22.*

CONSIDERA 1. quid in angustiis sit agendum vnicuique, nempe sustinendum, .i. patienter expectandum, & vigilandum, .i. diligenter circunspiciendum, ne quid alicunde mali subrepat. Nam homini perturbato multa absurda, & vitiosa sese ingerere solent. Considera 2, quàm inuitus Christus relinquat suos; auulsio enim quãdam abstractionem quasi violentam describit. Et recedens non procul abit, sed [quantũ est iactus lapidis,] non aliter ac matres solent, quæ cominus infantem deferunt, & docent ambulare, vt cadentem

protinus

protinus excipiant. Hæc autem omnia charitatem Christi, eiusque grauissimas interiores angustias declarant, quibus etiã ad orandum mouebatur, vt haberet scilicet à Deo Patre consolationem. Tu doloribus Christi Domini tui ab omnibus deserti commouere; & quia nihil gratius illi accidere potest, quàm esse tecum, omnes rationes adhibe vt tecum permaneat.

MEDITATIO IIII.

De prima Christi oratione.

Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. Et positis genibus procidit super terram in faciem suam, & orabat, vt si fieri posset, transiret ab eo hora, dicens: Pater mi, si fieri potest, transeat à me calix iste; veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.

CONSIDERA I. cerimoniam à Christo in hac precatione vsurpatã. Defigit enim humi genua, tanquam reus capitis ob peccata tua: prolabitur in terram, proiiciens se immolandum pro salute tua, & simul exprimens (quos ipse referebat) abiectissimã sortem hominum peccatorũ, qui quidem

ſicut intueri cælum prorſus indigni, digni verò ſunt, qui pedibus omnium proteran-tur, ita depreſſi in terram grauitate ſcelerũ decumbunt. Conſidera 2. mirum in hac oratione affectum, & ſingulorum verbo-rum pondus. [Pater mi,] hoc eſt, ego ſum filius tuus pro ſordidiſſimis hominibus a-cerba paſſurus: parcéſne mihi vnigenito filio tuo Pater? [ſi fieri poteſt;] intelligit ſalua diuina iuſtitia, nullam fuiſſe relictam aliam redimendi generis humani viam, quàm per mortem filij Dei. Tu ergo hic cum animo tuo reputa charitatem Dei, qui vt tibi parceret, non pepercit filio ſuo. [Tranſeat à me.] Oratio eſt deprecãtis tã funeſtum genus mortis: tamen in verbis his latet aliquid amplius; quaſi dicat, no-lim ſubſiſtat hæc in me afflictio, ſed fru-ctus eius ad Chriſtianos tranſeat; ego bi-bam, illi ſatientur. [Calix iſte.] paſſionem vocat calicem, quippe quæ cauſam lætitiæ noſtræ continet. Cæterùm ſicut ebrium fecerũt Chriſtum ſui cruciatus præ amo-ris magnitudine; ita meditatione, & meri-to paſſionis Chriſti, velut æſtu quodam diuini amoris inebriantur omnes iuſti.
Poſſunt hoc loco reuocari in memoriam

præstantissimi vini actiones, cùm largius ab hominibus sumitur: vino enim calefiũt interiora hominis, inducitur lætitia, conciliatur somnus, mentes de sede sua commouentur, fiunt homines facũdi, vinumque facili manu & cum voluptate bibitur. Hæc tu ad passionem Domini accommoda, quam Christus magna charitate adiuit, egregia animi alacritate sustinuit, & quasi mente abalienatus, factus est gentibus stultitia, Iudæis scandalum, adeoque non est pœnis imminuta charitas, sicut in hominibus fieri cõsueuit, vt potius sit excitata, sicut attritione lapides incalescunt; denique somno mortis sopitus est Dominus. Tu cùm pro Christo aliquid sustines, si ad similem modum afficiaris, scito passionis calicem, multum allaturũ tibi commodi. Considera 3. voluntatis illius in re valde ardua abdicationem; teque ad omnia paratum offer, atque à Domino impetra indifferentem ad res quascunque voluntatem.

Mat.26. Mar.14. Luc.22. Et cùm surrexisset ab oratione, venit ad discipulos suos, & inuenit eos dormiẽtes, & dicit Petro, Simõ dormis? nõ potuisti vna hora vigilare mecũ.

CONSIDERA 1. Christum in angustiis esse, & discipulos dormire; Ecclesia patitur, & nobis cordi non est. Tu verò quàm frequenter ad res diuinas remissus, quamque feruidus es ad priuatā negotia? Considera 2. vt post breuem orationem statim surrexerit Dominus, quasi præ animi mœrore non posset diu vno loco consistere, nūc à Deo Patre, nunc à Discipulis capturus solatij aliquid. Singula verba Petro dicta, pondus habent [Simon,] non dicit Petre, nomine illo nouo designante constantiam; sed, Simon, nomine antiquo. sic in quolibet Christiano est inuenire nomē nouum filiorum Dei, quo præditi nō peccant; & nomen naturę, quo censentur homines multis obnoxij vitiis, fragiles, caduci.] Dormis.] Reprehēditur Petrus, nō ob graue flagitium, sed quia dormiebat: & cogita quòd etiam minima à te commissa, magni æstimat Deus. [Sic nō potuisti.] docet adhibendam esse à nobis operam, & conatum in rebus honestis, licet difficilibus perficiendis: quandoquidem tentationes, naturæ infirmitas, similiaque multa, quæ in excusationem prætexere solemus, nos non excusābūt. [vna hora.] At-

tingit breuitatem temporis, quo nobis hic laborandum eſt. Dum adiicit, [vigilare,] facilitatem exprimit diuini ſeruitij, in quo tantùm hoc à te requiritur, vt vigiles, hoc eſt, vt vigilanter agas; vt ſcilicet in ſenſibus tuis cuſtodiendis ſis acer & attentus, ne dæmõ irrepat in animũ tuum. [mecum,] .i. non ſolus, ſed me duce. Hic conſcientiã tuam diſcute, quid pro Chriſto hactenus feceris, & quantos pro mundo labores ſuſceperis; & vel nunc quæ pro mundo facis ad Dei gloriam transfer; rogaque vt ductor tuus ſit in hac ſpiritali militia.

Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. Quid dormitis? vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus quidẽ promptus eſt, caro autem infirma.

CONSIDERA 1. acrem reprehenſionem diſcipulorum poſt admonitionẽ Petri: nõ enim propterea immunis eris, quòd ad imitationem ſuperioris delinquis. Cõſidera 2. vigilandum tibi eſſe & orandum. Niſi enim & tu coopereris Deo, & Deus cooperetur tibi, nihil efficies. Conſidera 3. quis ille ſpiritus ſit, qui promptus eſſe dicitur, & quomodo caro ſit infirma. 1. ſpiritus .i. volũtas hominis boni prompta eſt, & apprehendit ſæpè præclara quædam.

2. Spiritus sanctus promptus, & paratus est, ad præstandum auxilium; sed homines voluptate carnis illecti, non semper illi locum præbent. 3. malus spiritus intentus est, & excitatus ad nocendum; sed nos ad resistendum imbecilles. Hęc te meritò debent impellere ad vigilandum & orãdum: res enim est magni momenti ab incidentibus rebus incommodis non deiici. Ora denique Christum, vt desideriis tuis non solùm tribuat promptitudinem, sed etiam vires adiiciat; donecque quod ipse iubet, & iubeat quod volet.

MEDITATIO V.

De secunda & tertia Christi oratione.

Iterum secũdo abiit, & orauit eundem sermonẽ, dicens. Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt; si vis, transfer à me calicem istum, veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat. *Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22.*

CHRISTVS agnoscit se nondum impetrasse quod rogauerat: orat igitur secundò, ne tu molestiam vllam capias, si nõ statim exaudiris, qui neque tantus es, neque tam feruidus precator. Expende singula

orationis verba : [Abba Pater,] hoc eſt,
Pater:Pater; quæ repetitio quoddã indiciũ
eſt vehementiſſimi affectus , aut clamoris,
ad eum qui longius abeſt. A peccatoribus
ſanè procul abeſt Deus,ideò dicendum eſt
Pſal.129. cum Dauide: De profundis clamaui ad te
Domine, Domine exaudi vocem meam.
Et quia Chriſtus quã in ſe traduxerat perſonam
ſceleratorum hominũ ,etiam hoc
loco referebat,diſce Patrem cęleſtem,omnium
peccatorum beneuolum eſſe parentem,vt
de clementia diuina bene ſperes; &
cùm in peccatum incidiſti, nunquam animum
deſpondeas. Suſtentat autem nos
non exigua conſolatione, quod ſubiungitur:
[Omnia tibi poſſibilia ſunt,] quia
Deo nihil aut impoſſibile , aut arduũ eſt.
Iam vocula,[Si vis,]explicat Deũ facillimè
poſſe ſuccurrere , nec opus illi eſſe vel
operoſo conatu , vel labore, quando vno
nutu poſſit omnia. Quod autem nondum
velit cùm eum rogamus, eò fit, quoniam
pro ſuo erga nos amore perpetuo, vniuerſa
moderatur ad ſalutẽ noſtram. Coniũge
iã hæc tria:[Pater,]quæ vox charitatẽ
Dei ſignificat:[omnia poſſibilia ſunt,]ex
quo cõſtat de omnipotentia eius:[ſi vis,]
vnde

vnde facilitatem perficiendi habes; & magna ſolatia tuorum dolorum capies. Conſultiſſimum eſt autem in omni oratione voluntatem propriam abiicere: multo melius enim à Deo, ad voluntatem eius regeris, quàm ſi tuum iudicium & ſenſus ſeſe admiſceat. Ora igitur Deum vt inſtar iumenti ſine tuo arbitrio ab ipſo dirigaris.

Et venit iterum, & inuenit eos dormientes; erant enim oculi eorũ grauati, & ignorabant quid reſponderét ei; & relictis illis iterum abiit. *Mat.* 26. *Mar.* 14.

CONSIDERA 1. quàm frequenter ſuos Chriſtus viſitet: qua re vehementem animi ſui dolorẽ declarat, qui nec ex oratione collegit vllam ſuauitatem, ſummo licet affectu precaretur; nec à præſentia diſcipulorum recreari potuit, perinde vt ſolent ægroti & anxij nunc hoc, nunc illud aggredi ad faſtidium leuandum. Conſidera 2. Chriſtum nullis vnquam occupationibus, ne tunc quidem cùm pateretur, ſic fuiſſe diſtractum, quin de tua ſemper ſalute cogitaret, quin etiam nunc in cælo reſidens, oculos ſuos gratioſè in te intentos habet. Conſidera 3. quàm parum ſine Chriſto

poſſit homo, quàm citò in ſomnum corruat, quàm protinus deficiat, ſi vel paulisper Ieſus diſcedat. Conſidera 4. quid ſit oculos grauari, nempe minus nos eſſe prōptos, atque agiles ad diuina & cæleſtia meditanda, propter res terrenas, quę mentem impediũt, qualia ſunt honorum, & opum immoderata deſideria, ambitiones, vanitates huius ſeculi, aliæque ſimiles animi affectiones. Orandus eſt ergo Deus, vt ignauiam illam, grauedinemque tollat, teque ad ſuam voluntatem accommodet. Conſidera 5. quàm erubuerint Apoſtoli, qui ſecundo iam admoniti, non ſe continerent tamen à ſomno, quamobrem anxij ſuam infirmitatem apud ſe pariter & excuſabãt, & reprehendebãt. Nota etiã illud, [ignorabant, quid reſponderent illi.] Si enim ipſi Apoſtoli, homines ſanctitate cõſpicui præ reliquis, in re non ita magni erroris, in qua poterãt excuſare infirmitatem ſuam, ſolliciti tamen erant, & ignorabant quid reſponderent; quod tandem tu Deo Opt. Max. reſponſum dabis, cùm de rebus magni ponderis in die iudicij compellaberis, cùm multa & grauia peccata tibi obiiciẽtur, non admiſſa tantùm communi naturæ fragi-

fragilitate, sed etiam versuta & fallaci malitia commissa? Considera 6. nihil questũ esse Dominum, quòd solus in oratione, laboreque relinqueretur; vt in animum inducas tuum, neque conqueri, neque molestè aliquid ferre, si solus aliquando laboriosa quædam suscipere debeas, aliis interim opere solutis: rogaque Dominum, vt te torpentem excitet.

Et orauit tertio eundẽ sermonẽ dicẽs:

Pater mi, si nõ potest hic calix trãsire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Mat. 26.

CONSIDERA 1. quòd identidẽ ad Patrem recurrat Christus, & vnam atq. eandem rem efflagitans semper, non exaudiatur tamen. Comprehendit autem hæc precatio, mirificam Christi submissionem, se, suaque omnia deponentis in manu Dei Patris; nec in malam partem accipientis se non exaudiri. Tu disce nõ perturbari animo, si res tibi non pro voto succedat, dum quod in te erat, strennuè fecisti. Considera 2. summam fuisse necessitatem vt pateretur Christus. Non enim permisisset æternus Pater toties à charissimo filio se rogari, si alia ratione salus tua constitui potuisset. Considera 3. modum hunc loquendi,

[Si non potest transire nisi bibam illũ.] Vult enim intelligi cõmodum omne passionis Dominicæ transire ad nos, qui mẽbra sumus corporis eius, sed quasi per os traiectum, hoc est, per Christum; ipse enim est caput nostrum. Porrò autem, sicut potio amara palato quidem est insuauis & iniucunda, membris tamen vtilis; ita Christi dolores fuerunt illi quidem acerbi, sed nobis salutares. Cæterùm Passio Christi transit ad nos, partim quia meritum eius nobis communicatur, partim quoniã tribulationes difficultatesque nostræ, quas patimur, ex ea sanctificantur. Quoties igitur aliquid aduersi sustinebis, toties cogita ad te permanare passionẽ Christi, oraque eũ, vt suis doloribus dolores tuos mitiget.

MEDITATIO VI.

De agonia & sudore sanguineo.

Luc. 22. Apparuit autem illi angelus de cælo, confortans eum.

CONSIDERA I. quòd licet in Christo diuina natura cum humana associata fuerit in eandem personam, ipse tamen hoc passionis tempore, nihil solatij ab ea traxerit.

rit. Conſidera 2. quantæ fuerint illæ, quã-
que graues anguſtiæ, ad quas leniendas nõ
ſatis erat homo, ſed angelus è cęlo debuit
adhiberi. Conſidera 3. quid cauſæ fuerit,
cur Chriſtus voluerit ab angelo conforta-
ri, ſcilicet vt nobis afflictis compati ſciret,
noſque doceret, non ad fluxas & caducas
oblectationes, quales è rebus creatis ple-
runque hauriuntur, recurrere, ſed ad ſpi-
rituales, angelicas, cæleſtes. Conſidera 4.
Deum nunquam deſerere ſperantes in ſe.
Nam licet ille non ſemper mala tollat, dat
tamen ſemper gratiam, & robur adiicit, vt
perferre poſſimus. Conſidera 5. quòd an-
geli adſint orantibus; idcirco danda tibi eſt
opera, vt religiosè & compoſitè eos vene-
reris præſentes, Deumque preceris iuxta
Pſal. In conſpectu angelorum pſallam ti-
bi. Cõſidera 6. quomodo Chriſtum an- *Epipha. in*
gelus confortauerit. non enim interiore *Ancorato,*
quopiam alleuamento, aut gratia id præ- *& hæreſi*
ſtitit (quia Chriſtus nullam prorſus cõſo- *69.*
lationem toto paſſionis tempore admiſit)
ſed adhibuit externa verba, quibus illius
animo proponebat, tum neceſſitudinem
abſolutam tantarum acerbitatum, tum
conſecuturas inde commoditates, tum
 graviſſi-

grauissimam voluntatem Patris, tum prophetarum oracula, &c. Considera 7. an aliquid est, in quo tu possis Christum solari & confortare, ac illi animum addere tui iuuandi gratia; quod vtique fiet, si animaduertat, quod probè te geras, ac talentum ab eo tibi concreditum, non malè impendas; quodque labores fortiter toleres; sic enim te intuebitur benignis oculis, atque ad altiora prouehet. Tuum interim erit orare Christum, vt te confortet, & erudiat, non externis modò verbis, sed interiore comprimis virtute, & sapientia.

Luc. 22. Et factus in agonia prolixius orabat.

AGONIA hæc, fuit colluctatio quædam interior, non quidem carnis aduersus spiritum, sed naturæ contra mortem: & quidem toto hoc tam acerbo tempore cum tribus pugnandum Christo fuit, quibus vbique superior tandem euasit. 1. cum natura reformidãte tam atroci genere mortis occumbere. 2. cum iustitia Patris graues exigente pœnas. 3. cum atrocissimo generis humani hoste: sed prœlium contra propensionem naturæ est auspicatus; vt scias quomodo habere te debeas in eo cõflictu, qui pro salute committitur; nempe

vt

vt primo loco coneris domitas habere tuas inclinationes, & coërcere libidines; quibus vtcunque subactis, vtêris deinde Deo placato, tum denique fugiet à te dæmon. Cõsidera 1. quanta contentione, quantoque labore dimicet Christus Dux tuus; & tu sine pugna existimas saluus fieri? Considera 2. quòd in agonia prolixius orauerit, quia afflictione premente, in precibus vel maximè perseuerandum est. Considera 3. quid tãdem illud sit, quod tam longa supplicatione voluit? non quidem vt calix amaritudinis tolleretur ab eo (prius enim breuioribus verbis in eum finem vsus fuerat) sed vt postquam patiendum illi erat, tu ab eius cruciatibus vtilitatem consequereris. Admirare hic amorem illũ summum Christi, qui solus est vera consolatio angelorum. Dole de peccatis tuis, quæ veram attulerunt causam huic pressuræ: alios denique in te affectus amoris, fiduciæ, commiserationis excita, quorum hic locus copiosam materiam subministrat.

Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. *Luc. 22.*

CONSIDERA 1. ex qualitate & quantitate huius sudoris, maximas sponsi tui

angu-

angustias, sine quibus neque sanguis sudore emitti, neque tanta copia vt terram rigaret, defluere potuisset. Considera 2. quòd passioni Dominicæ principium dedit & finem prodigiosa sanguinis & aquæ effusio, vt discas diuinam naturam Christo eo tempore id potissimùm contulisse, vt diutius omnes dolores, eosq́, acerbissimos perferret, quibus humana natura, si sola fuisset, omninò succubuisset. Considera 3. quòd singulis ex artubus sanguis emanauit, tum vt singula Ecclesiæ membra, ex quorũ numero tu quoque es, Christi mortem defleant; tum vt pro se quisque guttã aliquam sanguinis illius ad abluenda peccata sibi Christiani colligant; tum vt cognoscas quàm liberaliter per tot fontes quot membra habebat, sanguinem tibi suum propinet. Considera 4. quanta debilitatio in ipso tenerrimo Christi corpore, à tanta sanguinis & sudoris profusione relicta fuerit. Considera 5. quòd in subiectam terram profluxerit, ad noxas auferendas hominum, qui terrenis studiis capiuntur. Considera 6. quòd decurrerint in humum guttæ, scilicet vt intelligas accelerandum esse tibi, si sanguinis tam preciosi fieri velis

parti-

particeps, qui non tam fluit, quàm velocissimè currit. Nisi igitur in hac vita scaturientem illius sanguinem haurias & recõdas, post mortem vtique defluxerit, vt nihil tibi ex eo supersit.

MEDITATIO VII.

De aduentu Iudæ cum militibus.

Et venit tertio, & ait illis: dormite iam *Mat. 26.*
& requiescite: sufficit, venit hora: *Mar. 14.*
Ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum: surgite, eamus: ecce qui me tradet propè est.

CONSIDERA 1. Christum, cùm ter Apostolos visisset, inuenissetque dormiẽtes, reprehendisse primùm eos, secundò tacuisse, tertiò ad dormiendum inuitasse; vt discas 1. infirmitati alienæ deferre; 2. inspirationibus diuinis illico acquiescere. Si enim viderit Christus nihili suas admonitiones à te fieri, in posterum silebit, & parcius tibi quæ ad salutem fuerint, suggeret. 3. cùm semel rem aliquam præclarè aggressus es, non oportere neque vacillare in posterum, neque mentem mutare. Christus enim posteaquam naturæ propensio-

pensionem subegerat, contraque naturam sibi moriẽdum esse statuerat, nullum reliquo tempore vel tristitiæ vel inconstantiæ vel ambiguitatis signum foris ostendit. Considera 2. Christum fortè cum discipulis ad modicam quietem se composuisse, sed eam nec magnam fuisse nec diuturnam, præsertim in homine defatigato, qui paulò pòst erat apprehẽdendus. Considera 3. verbum illud, [sufficit:] quasi doceat ponendum esse modum quieti & commoditatibus humanis. Considera 4. bis repeti, [Ecce,] quandoquidem verè mirum est, inuentum fuisse, qui filium Dei & hominis traderet. Considera 5. [Surgite eamus,] nõ satis tibi esse debere, si non dormias vbi de Dei gloria agitur; sed opus esse etiam surgere & progredi, atque occurrere malis, & aduersa quælibet generosè pati pro Deo. Tu hic discute somnũ, rogaq́. Dominum vt te efficaciter ad labores pro ipsius nomine excitet.

Mat. 26. *Ioan. 18.* Adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit; sciebat autem & Iudas qui tradebat eum, locum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cũ discipulis suis.

CON-

CONSIDERA 1. nulla Iudæ fuiſſe opus ad vigilandum admonitione. ita enim fieri ſolet, quãdo ſcelera cõmittenda ſunt, ab improbis nõ dormitur. Conſidera 2. [Ecce Iudas vnus de duodecim.] Res mira, quòd is qui tam eximium beneficium à Chriſto acceperat, eò malitiæ & ingratitudinis venire potuerit, vt Dominũ & benefactorem ſuum perderet. Diſcis in donis gratuitis non confidere, quin potius quo plura accepiſti dona, eo magis timere, quia in hora mortis Deus ponderabit omnia dona ſua; ſicut ſcriptura hic magna emphaſi dicit, Ecce Iudas vnus de duodecim. Conſidera 3. hominem malum non vereri abuti rebus bonis; ſicut Iudas locũ orationis Chriſti ad eum prodendum adiuit: quanto ſatius fuiſſet, relicta proditione, ſe Chriſto, & Apoſtolis in oratione cõiungere? Conſidera 4. quòd hominem improbum cognitio variarum rerum etiam cæleſtium non iuuabit, quin potius damnabit, ſicut Iudam nõ iuuit nouiſſe Chriſtum, & locum ac tempus orationis Chriſti, &c. Hoc loco ſi ingratitudinem tuam perpendis, qui multis beneficiis auctus, nihil præter maleficia refers, ipſum te admi-

raberis,

raberis,& deteſtaberis, Chriſtumque precaberis ne te cum impio Iuda perditum ire patiatur.

Ioan. 18. *Mat.* 26. *Mar.* 14. *Luc.* 22.

Iudas ergo cùm accepiſſet cohortem, & à Pontificibus & à Phariſæis miniſtros, venit illuc cum laternis & facibus, cum gladiis & fuſtibus & armis, miſſi à Principibus Sacerdotũ, & ſenioribus populi: & qui vocabatur Iudas, antecedebat eos.

CONSIDERA 1. quanta hominũ turba ad Chriſtum comprehendendum conuenerit; primùm quidem cohors gentilium cum ſuo tribuno, milites fortè quingenti; deinde verò miniſtri Iudæorum non pauci, cum aliquot Principibus ſacerdotum, & Senioribus, ac magiſtratu populi. Erant igitur duæ cohortes, gentilium altera, altera Iudæorum, variis armis inſtructæ, atque ad nocendum paratiſſimæ. Horum omnium dux erat, & anteſignanus is [qui vocabatur Iudas,] hoc eſt, celebris ille Iudas, omnibus his Iudæis atque gentibus notus. Conſidera 2. quid inter ſe venientes contulerint, quos animos in Chriſtum habuerint, vt ſanguinem ipſius ſitierint. Conſidera 3. titulum hũc Iudæ, [qui vocabatur

cabatur Iudas,] hoc eſt, qui paulò ante notus fuerat diſcipulis & bonis, cùm eleemoſynas Chriſti iuſſu faceret, cùm miracula ederet, cùm Chriſtum ſequeretur; is nunc celebratur à nebulonibus, inter latrones conſpicuus. Tu cura nomen tuum in cælis innoteſcere potius quàm in mundo vel in inferno. Conſidera 4. quàm dolenti animo Chriſtus eum, qui vnus fuerat principum Eccleſiæ, viderit principem eſſe nebulonum. Tu operam dabis, ne ſimili tui mutatione, occaſionem ipſi doloris exhibeas, ſi ex filio Dei mancipium diaboli efficiaris; quod ne fiat, ex animo precare.

MEDITATIO VIII.

De Iudæorum in terram lapſu.

Ieſus itaque ſciens omnia quæ ventura erãt ſuper ſe, proceſſit & dixit: Quẽ quæritis? Reſponderunt ei: Ieſum Nazarenum. *Ioan. 18.*

CHRISTVS obuiam proceſſit; vt doceret 1. ſe non ignorare impiorum machinationes. 2. ſe ſponte ſua ad mortem feſtinare. 3. ſe paratum vltrò ſuſcipere peccatorem, ſi ad cor redire velit. Excita in te

amorem Christi, totumque te offerto illi, qui tam alacriter in hostium manus se dedit pro te. [Quem quæritis?] quasi dicat, Considerate obsecro, quem quæratis, hominem iustum, & innocentem, qui omnibus consueuit benefacere, nullumque lædere; qui ad vestram salutem de cælis descendit; qui demum venturus est Iudex vniuersæ creaturæ. Hæc eadem tu cogitabis, quandò ad Dei offensam sollicitaberis. Peccãdo enim conculcatur Filius Dei, vt affirmat D. Apostolus Paulus, & ignominia afficitur. [Iesum Nazarenum.] Ignorabant præsentem: non enim aiunt, teipsum quærimus, sed Iesum Nazarenũ. Nota quæri pro te ad mortem Iesum, hoc est, Saluatorem, & Nazarenũ .i. floridum, omni virtute ornatum: Non enim alius te morte sua à gehennæ incendiis eripere potuisset. Hic igitur tibi in omni necessitate quærendus est, orandusque vt à te non ad necem aut ad ignominiam, sed ad salutem tuam quæratur, quæsitus inueniatur, inuentus retineatur.

Heb. 10.

Ioan. 18. Respondit eis Iesus: Ego sum. stabat autem Iudas qui tradebat eum, cum ipsis: vt ergo dixit eis; Ego sum: abie-

abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.

CONSIDERA 1. Chriſti potentiã, verbo ſolo armatam cohortem proſternentis. Timenda eſt itaque illius ira, ne qui paſſurus tantam virtutem exercuit, iudicaturus grauius tecum agat. Diſce magni facere verbum Dei, quod adfert ſalutẽ credenti, interitum infideli. Conſidera 2. miſeram Iudæ mutationem; quippe qui paulò antè cum Apoſtolis Dominicæ menſæ accubuerat, hic cum impiis deiicitur. Neque enim te aut religionis ac inſtituti dignitas excuſabit, aut aliorum probitas defendet, ſed neq. vitæ anteactæ pietas proderit, ſi deſertorem te Chriſtus, & hoſtibus ſuis ac peccato conſentientem inueniat. Conſidera 3. vnum idemque verbum piis conſolatione, impiis eſſe terrori. Vocula, Ego ſum, ſolabatur Apoſtolos in mari remigantes; ad iracundiam prouocabat Phariſæos, & hic proſternit armatos. Tu ergo, ſi bona ſis terra, excipies Dei verbum, cum vbere fructu; ſi mala, nocumentum ex optimo ſemine capies. Conſidera 4. quantum inter ruinam impiorum, & caſum iuſtorum interſit. Retrorſum impius,

Mat. 14.
Ioan. 8.

pius, non in faciem cadit, quia in ea quæ non videt, dum repentè ex hac vita recedit, & ad supplicia quę ignorabat, ignominiosissimè corruit. Nam in faciem cadere, est in hac vita suas culpas agnoscere, & pœnitẽdo deflere. Corruit retrorsum impius, quia quo emendari debuerat, redditur deterior, vt vel inuitus cogatur cælum aspicere. Tu hic bonitatem Christi admirare, qui tot modis hostium suorum salutem quæsiuit; oraq. vt verbo suo cor tuum concutiat, vt in faciem cadens, Dei maiestatem tuis peccatis offensam, humilitate reconcilies.

D. Gregorius lib. 31. mora. cap. 18. & Homil. 9. in Ezech.

Ioan. 18. Iterum ergo interrogauit eos: Quem quæritis? Dicunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit illis: Dixi vobis quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire; vt impleatur sermo quẽ dixit, quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam.

CONSIDERA I. impiorum malitiam, quæ nec suauitate, nec flagellis mitescit. Induratæ enim malitiæ cæcitas crescit, sicut his, qui & admoniti & edocti Christũ quis esset necdum agnouerunt. Non enim respondent: te quærimus, sed tanquam de

alio; Iesum Nazarenum. Considera 2. magnam Christi in suos curam, de quibus in tãtis periculis, plusquàm de seipso sollicitus fuit. Hæc est sincera dilectio proximorum, si cum nostro incommodo illorum commodis prospiciamus. 3. Si in tantis malis, paucorum Apostolorum curam gessit, nonne modò solutus periculis, atq. quietus, in cælo vniuersam Ecclesiã sponsam vnicè dilectã curabit? imò verò etiam singulorum Ecclesiæ membrorum & curam habet, & commoda quærit. Locus est magnæ consolationis, quòd de te cogitet Dominus. Considera 4. quàm glorietur in eo Dominus, quòd ex discipulis suis non perdiderit quenquam. Quanta vicissim tibi sit gaudij occasio, si neminem verbo, exemplo, negligentia deteriorem reddideris, sed multos potius conseruaueris, & lucratus fueris. Demum committe te Christo, quem ora vt tui curam nunquam deponat.

MEDITATIO IX.

De oſculo Iudæ.

Mat. 26. *Mar. 14.* Dederat autem traditor eis ſignum, dicens: Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt: tenete eum, & ducite cautè.

MAGNVM illud Apoſtoli nomen, quo fuerat honoratus Iudas, mutatum illi eſt in nomen Traditoris, adeoque hoc nomen Iudas, veteribus Iſraëlitis præter cætera honorificum, in peccati deteſtationem, eſt ferè Chriſtianis ignominioſum. Hic eſt fructus peccati, vt boni refugiant omne malorum commercium. Conſidera autem proditoris huius ſollicitam diligentiam; ne pecunia promiſſa fruſtretur, modum docet & apprehendendi, & retinendi; ex magiſtro virtutis, factus magiſter nequitiæ: prius ad conuerſionem populorum miſſus, nunc alios docet authorem vitæ perdere. Diſcis peccati conditionem, quod non quieſcit in eo, vt homo ſit peccator, ſed vlterius progreditur, vt efficiat doctorem malitiæ. Roga Dominum, ne te à ſe patiatur auelli, ne adinſtar Iudæ in flagitia labaris.

Iudas antecedebat eos, & appropinquauit, vt oscularetur eum; confestimque accedens, dixit: Aue Rabbi: & osculatus est eum. Luc. 22. Mat. 26. Mar. 14.

1. Hic admirare Christi bonitatem, qui ad osculum admisit, quem non ignorabat proditorem. Neque tibi blandiaris, si ad religionem voceris, aut ad mysteria diuina, Ecclesiastica munia, & sacras functiones, aut dignitates Dei permissu eueharis, quia te tolerat Christus, sicut tolerauit osculum Iudæ. Videtur familiare fuisse Apostolis, vt aliunde venientes Christum osculo salutarent, alioquin tale quid non auderet Iudas. Et Christus Pharizæo quasi exprobrans dicit, Osculum mihi non dedisti. Discis facilitatem Christi in admittendis peccatoribus, & desiderium vt sit cum filiis hominum. Magna igitur fiducia accede, quia non repellet te, qui proditorem admisit. 2. disce tua omnia sincerè perficere, quia Christum osculo prodit, qui pietatis prætextu, fraudem proximo facit; quique Dominicum corpus in Eucharistia impuro corde suscipit, reus corporis & sanguinis Domini, quem in fœtidam conscientiæ impuræ cloacā immittit. Luc. 7.

Mat. 26. Luc. 22. Ieſus autem dixit illi; Amice, ad quid veniſti? Iuda oſculo filium hominis tradis.

SINGVLA verba expende. [Amice]. 1. hactenus amicus fuiſti, 2. amici habitu venis, prębens oſculum, amoris indicium. 3. Ego te non odi, ſed reconciliationem offero, pro te etiam ſanguinem meum fuſurus, & mortem ad quam trador ſubiturus, ſi modò ipſe velis. Non cupio vt me de manibus horum Iudæorum eripias, quia ad mortem hac paſſione obeundam ſum natus, ſed vt in gratiam de tanto tuo peccato dolens redeas. [Ad quid veniſti?] 1. non ignoro quo animo huc acceſſeris; cordis tui intima iamdudum penetraui; reuertere igitur ad cor, non enim latet me Iudicem tuum dolus tuus. 2. quò redactus es miſer? nuper Apóſtolus, nunc proditor; nuper princeps Eccléſiæ, nunc princeps latronum. Eia turpitudinis tuæ contemplatione, vel nunc ſaltem peccati te pœniteat. [Iuda] 1. Si amici nomen non fers, vt qui amicus eſſe non vis, ſaltem audi me conſueto more te compellantem. 2. memento patrum tuorum Iudæ patriarchæ, & Iudæ Machabęi, à quorum moribus tu

planè

planè degeneras. [Filium hominis.] eum qui admirabiliter eſt filius hominis; in cælo, ex ſolo Patre genitus; in terra ex ſola matre natus; qui nihil vnquam tibi mali fecit, ſed ad ſalutem tuam totis 33. annis laborauit, & nunc mori paratus eſt; quid à me tibi cauſæ datum eſt, vt me innocentem traderes? [Oſculo.] pacis ſymbolo abuteris ad ſignum proditionis, vt olim Ioab oſculans interfecit Amaſam. 2 Reg. 20
Sciebas nihil mihi charius eſſe, quàm arctiſſimè tecum coniungi: & tu hanc coniunctionem amoris in necem conuertis? [Tradis?] Illis me donas, qui me peſſimè oderunt, qui mihi omne malum inferent, quibus nihil ſatis malorum pati poſſum? Admirare in his omnibus Chriſti benignitatem, eamque imitare. Compatere Domino, cui tam indigna ſunt illata, à ſeruo tot beneficiis affecto, & in nulla re læſo; & conſiderans quanta ad impij huius proditoris conuerſionem, quamque efficaciter dicat, confide te nō deſerendum, ſi cum dolore cordis ad ipſum redeas. Ora igitur Chriſtum, vt tibi amicus maneat, gratiamque tibi largiatur, iniurias æquo animo ferendi, & inferentes amandi.

MEDITATIO X.

De auricula Malcho amputata.

Videntes ij qui circa ipſum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, ſi percutimus in gladio? Et ecce vnus de circunſtantibus iis qui erant cum Ieſu, Simon Petrus, exemit gladium, & percutiens ſeruum Principis Sacerdotum, amputauit illi auriculam dexteram. Erat autem nomen ſeruo Malchus.

Luc. 22. Mat. 26. Mar. 14. Ioan. 18.

CONSIDERA I. Diſcipulorum feruorem, qui pauci numero non veriti ſunt duabus cohortibus ſeſe obiicere; & pro Domino ſuo præſens periculum adire; vt tu tibi ne parcas, ſi quando res Chriſti agitur. 2. [Et ecce.] Res noua, vt Apoſtolus Domini gladio vtatur: mãſuetudinem docuit Chriſtus, non pugnam, quæ tamen tunc ineunda eſt, quando Dei gloria periclitatur. 3. Petrus Apoſtolorum Princeps hunc gladium arripuit, cuius eſt, ſpirituali gladio putrida membra ab Eccleſiæ corpore reſecare. 4. Amputat auriculam dexteram; quia à Petro excommunicati, efficiun-

efficiuntur alieni, à diuinis rerũ cælestium promissionibus: retinent aurem sinistram, qua post istius temporis solatia districti Iudicis maledictionem audiant. 5. Malchus (quod nomen regem significat) est seruus improbi Pontificis, quia qui in hoc mundo magnis honorũ titulis oblectantur, re vera sunt mancipia vitiorum. Considera 6. potentiam verbi Christi, [sinite hos abire.] Huius enim virtute factũ est, vt nemo discipulorum, à tanta hominum turba quidquam incommodi pateretur. Considera 7. Christi bonitatem, qua passus non est, grauius damnum à Petro inferri, ne passione sua, quę omnibus prodesse debebat, alicui nocuisse videretur. Tu Christum roga, ne te auditu rerum cælestium priuet, néue aures tuas ad bona obduret, quin potius aures cordis tui aperiat, & moueat, vt ad iniquorum fabulationem obsurdescens, audias quid in te loquatur Dominus.

Respondens autem Iesus, dixit: Sinite vsque huc. Dixit ergo Iesus Petro: Conuerte gladium tuũ in vaginam. 1. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. 2. An putas quia Luc. 22. Mat. 26.

quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò plusquã duodecim legiones Angelorum? 3. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? 4. Quomodò ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri?

Ioan. 18.

CONSIDERA 1. [Sinite vsque huc.] hoc est, satis est, ne vlteriùs progrediare gladio & defensione. Non reprehẽdit Petri factum, sed ait sufficere; vt tu in defensione, atq. in ira modũ serues, iuxta illud; Irascimini & nolite peccare. 2 has quatuor rationes, quibus Petrum monet ne passionem impedire conetur. Discis Christi prõptitudinem ad patiendum, qui tot rationibus vtitur, vt pati permittatur. Tu verò omnes molestias pro Christi nomine suscipiendas refugis, omnesque rationes conquiris, vt nihil patiaris. 3. [Qui gladium acceperint] .i. qui propria authoritate gladio fuerint vsi, nõ tradito à Deo, lege merentur occidi; & si fortè non pereant gladio humano in hoc mundo, perituri tandem sunt gladio illo, qui paradisi aditum intercludit. Disce vindictam omnem Deo committere. 4. maximam Angelorum

Psal. 4.

gelorum multitudinem, qui præstò sunt bonorum auxilio; vt discas Deo fidere, qui tot Angelis tui curam commisit. Nam quod de se hic affirmat Christus, hoc circa se expertus est Helizæus. Considera 5. 4.Reg.6.
[Calicem quem dedit mihi Pater.] Calicem vocat Passionem. Eleuans potiùs quàm eius magnitudinem exaggerans; vt tu ne facilè querare de molestiarum grauitate. Fatetur à Patre sibi datum, ne tu hominibus aut dæmonibus adscribas afflictiones tuas, sed soli Deo, cum B. Iob à Iob 1.
dæmonibus & hominibus vexato; Dominus dedit Dominus abstulit. Et disce non ob id Deum desinere esse Patrem, quòd affligat; sed tunc vel maximè esse Patrem, quando castigat. 6. Impleri scripturas passione Christi, quæ similiter implentur passionibus tuis, quia per multas tribulationes Act. 14.
nes oportet nos intrare in regnum Dei. Gratias age Christo, qui animo tam prompto atque parato ad passionem pro te accessit. Excita eius in te amorem, rogaque vt tibi desiderium infundat pro ipsius nomine patiendi, vtque in omnibus quæ tibi eueniũt, rationes excogites, id esse iustum, quod tibi accidit.

Et

Luc. 22. Et cùm tetigiſſet auriculam, ſanauit eum.

CONSIDERA 1. quanta benignitate Chriſtus petulantis militis & atrocis hoſtis auriculam curarit, quem tali beneficio præuidebat nihilo fore meliorẽ; vt diſcas ad miſericordiam, quàm ad ſeueritatem eſſe propenſior, bonoque malum compenſare, tametſi aduerſarius id non mereatur. 2. Efficaciam contactus manuum Saluatoris, vt diſcas virtutem Corporis Chriſti; cuius enim ſolius manus attactus hoſtis auriculam reſtituit, nõne eius totum Corpus in Euchariſtia ſumptum, amici animam ſimul & corpus curabit? 3. Chriſtum paſſurum ſanare auriculam. Hic enim ex præcipuis eſt fructibus paſſionis eius, animas noſtras verborum Dei capaces efficere, eaſq́. per fidem & Sacramenta curare. Voluit porrò Dominus, hoc vltimo ſuo ante mortẽ miraculo, hoſtes ſuos monere, vt aures ad verba Dei arrigerent, illiſque auditis, malitiam deponerent. Demùm admirare bonitatem Dei, rogaq́ue, vt ſimilem tibi miſericordiam reddat, pro innumeris peccatis tuis.

MEDI-

MEDITATIO XI.

De captiuitate Domini.

In illa hora dixit Ieſus turbis, & ad eos *Mat.26.*
qui ad ſe venerant Principes Sacerdotum, & magiſtratus populi & ſeniores: Tanquam ad latronem exiſtis *Mar.14.*
cum gladiis & fuſtibus cõprehendere me; quotidie eram vobiſcum in *Luc.22.*
templo, & ſedebam docens, & non me tenuiſtis, nec extendiſtis manus veſtras in me. Sed hęc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Hoc autem totum factum eſt, vt adimplerentur ſcripturæ Prophetarum.

CONSIDERA 1. quo loco ſit habitus Dominus tuus, nempè latronis, ad quem cohibendum, tanta manu armata opus fuiſſe videatur. 2. quomodò doceat ſe non eſſe latronem, vtpote qui nulli nocuerit, aut inſtar latronum latitarit; quin & benefecerit, & in occulto nihil, ſed publicè ſemper docuerit; eiuſque rei teſtes ipſos eoſdem adhibet, quos necis ſuæ videbat aſtare miniſtros. Monet itaq. auditam abs ſe doctrinam vt in memoriam reuocent, ani-

animumque mutent, quippe inuenturos ſe nihil quod non ſanctum, eruditum, & ſalutare eſſe iudicabunt. Conſidera 3. quibus verbis poteſtatem faciat aduerſariis in ſe ſæuiendi, ſine qua nihil poterant. verba autem ſingula vim ſuam habent. [Hæc eſt.] quaſi dicat, præſentia tantùm vobis curæ ſunt, de fututis nihil ſollicitis; quod peccatorum, non iuſtorum eſt proprium. [Hora.] breue eſt tempus omne præſens: tranſit inſtar horæ omnis peccatorum voluptas, tranſit etiam omnis afflictio iuſtorum. [veſtra.] tempus hoc breue vobis cōceditur, quidlibet vel pro ſalute, vel prò damnatione perficiendi; tempus, inquam, precioſum, quale poſt hanc vitam nullum amplius reſtabit. [Et poteſtas tenebrarum.] hoc eſt, poteſtas tenebricoſa, tum quia peccatorum tenebris eam ipſi merentur accipere; tum quia ad tenebras inferni eadem vtentes ducuntur; tum quia in poteſtate impiorum regnant tenebræ; tum denique quia datur poteſtas dæmonibus principibus tenebrarum, omnia mala in Chriſtum perpetrandi. Conſidera ergo & multitudinem pœnarum Chriſti, & magnitudinem, quando permiſſum eſt maligniſ.

lignis ſpiritibus in malis inferendis exercitatiſſimis, per hoſce ſuos miniſtros eoſq. promptiſsimos, Chriſtum torquere. Admirare etiam hãc Chriſti pro te liberalem permiſſionem; gratias age, atque ad omnes pro ipſo labores & dolores perferẽdos te offer, rogaq́ue vt non ſit in tenebris poteſtas tua; ſed à lumine fidei, & diuinę gratiæ procedãt & perficiantur actiones tuæ.

Tunc acceſſerunt cohors & tribunus, & miniſtri Iudęorum, & manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt, & ligauerunt eum. *Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 18.*

CONSIDERA I. admirabilem horum in Domino tuo capiendo inſolẽtiam: & cogita inuidię magnitudinem, qua omne malum Chriſto inferre deſiderabant; & facultatem à Domino conceſſam, qua deſideria ſua explere poterãt. Magna crudelitate captus fuit Apoſtolus Paulus ex templo vi abſtractus, continenter pugnis verberatus, & verberibus propemodum interemptus; at nihil ad hanc ſæuitiam, quæ omnem ſæuitiam ſuperauit. Veteres de hac captiuitate prædictiones attende: Circundederunt me canes multi, ſuſceperunt me ſicut leo paratus ad prædã; proii- *Act. 21.* *Pſal. 21.* *Pſal. 16.*

cientes me, nunc circundederunt me. Circundederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis. Impulſus euerſus ſum vt caderem. 2. Expende verba Euangeliſtarum: [Cohors & tribunus & miniſtri.] Non pauci, ſed vniuerſus hic exercitus ad captiuitatem hanc laborabat; ſinguli aliquid conabantur. [Acceſſerunt.] magno impetu inſiluerunt, vt affirmat B. Gregorius Nazianzenus, [manus iniecerunt,] non apprehendentes ſolùm, ſed grauiter cædentes, [tenuerunt.] Huc illuc impulerunt, & (vt ait B. Leo) traxerũt. [& ligauerunt.] Heu quot vincula non ab vno, ſed à tam multis iniecta, tum ne effugeret, tum vt tali habitu morte dignus ab omnibus palàm iudicaretur. Hæc vincula tibi, tuiſque peccatis debebãtur; quorum niſi particeps fueris, æternis inferni vinculis conſtringeris. Domino itaque tua cauſa tam crudeliter vincto compati, & gratiam habere ſtudebis, rogabiſque vt hac ſua captiuitate, ab omni dæmonis te liberet poteſtate, omnibuſque vinculis malarum cupiditatum, quæ in quoduis te peccatum dæmonis arbitrio trahunt, & impellunt, expediat; & ſpirituali reſtituat libertati,

In Christo patiente.

Serm. 7. de paſſ. Domini.

libertati, vt de manu inimicorum liberatus, seruias ei.

Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum, amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum: ille autem reiecta sindone, nudus profugit ab eis. *Mat. 26. Mar. 14.*

Considera 1. narrari hic duo, vnde in capiendo Christo, atque ducendo, furorem maximum, sæuitiamq. fuisse intelligas; vnum quidem fuga charissimorum discipulorum, quibus tantus fuit metus iniectus, vt licet amore feruerent, ad vnum tamen omnes diffugerint: alterum verò, quòd adolescens è vicina domo tumultu excitatus, de strato exurgens, linteo solo tectus, quid rei in platea ageretur inspecturus venerit; quem illi ex discipulis aliquem arbitrantes, comprehendere voluerunt; qui nudus relicto linteo diffugit. Ex quo intelligas, quanti clamores fuerint eorum, quasi capta iam præda; quanta rabies atque voluntas nocendi ijs omnibus qui Christum attingebant. Considera 2. Dominum tuum ab omnibus charis & amicis desertum manibus impiorũ cru-

deliter raptari. Disce non confidere in hominibus, qui in hac vita frequenter, in morte autem semper omnes deserunt. Et ora Dominum ne vnquam ipse te deserat, tametsi ab omnibus deseraris, præsertim verò in hora mortis tibi ne desit, quando vtique soli tibi, sine vllo comitatu humano erit in aliam regionem abeundum.

MEDITATIO XII.

De gestis in domo Annæ, & missione ad Caipham.

Ioan. 18. Et duxerunt Iesum ad Annã primùm: erat enim socer Caiphæ, qui erat Põtifex anni illius. Erat autem Caiphas qui consilium dederat Iudæis, quia expedit vnum hominem mori pro populo.

CONSIDERA 1. Christum ad Annã duci, vel vt deferretur socero Caiphæ, homini seni, successuro anno sequenti in Pontificatu, & in via ad Põtificis domum habitãti: vel propter proditorem, cui Annas (vt ait B. Cyrillus) capto iã Domino, stipendium proditionis, de mãdato sacerdotum persoluturus erat. Tu personarũ

Lib. 11. *in Ioan. cap.* 37.

affectus

affectus cōtemplare; gaudium crudele nequiſſimi huius Annæ, de capto tandem hoſte exultãtis; ſatellitum adulatoriã congratulationem; Iudæ auaritiam recepta iam pecunia; Chriſti modeſtiam, atque ad patiendum pro te animi alacritatē. Conſidera 2. ipſius Caiphæ, eiuſque de occidendo Chriſto cōſilij repeti memoriam 1. vt ſignificetur ille promouiſſe necem, qui primus hoc conſilium necis ſuggeſſerat. 2. vt diſcas omnia quę Domino tuo in hac paſſione ſua eueniſſe intelligis, non tam humano ipſi cōſilio, quàm diuina voluntate accidiſſe: ſiquidem verba illa de nece Domini, tametſi Caiphas malo animo protulerit, ſpiritus ſancti tamen inſtinctu dixit, qui impiorum verba ad vtilitatē iuſtorum moderari ſolet; teque hic docere voluit, ſola humani generis dilectione à Deo Patre iniunctã, & à Deo filio ſuſceptam eſſe tam atrocem paſſionem: vt tu viciſſim toto corde, & animo in Dei amorem feraris. 3. vt ſcias Deum non obliuiſci malorum præteritorum, tametſi ea tibi fortaſſis exciderūt. Omnium enim & memoria retinetur, & in mortis hora rationes repetentur.

Ioan. 18. Mat. 26. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem, principem sacerdotum, vbi scribæ & seniores conuenerant.

CONSIDERA 1. in Annæ domo Christum Dominum nonnulla pertulisse incommoda. Verbum enim [misit] nō obiter diuertisse, aut leuiter transijsse, sed aliquãtisper hæsisse significat: verùm illa quę fuerint, tecum ipse scrutare: nam alapam in domo Caiphæ inflictam esse, B. Cyrillus ait, voluntq. nonnulli verbum [misit] pro miserat Hebraismo accipiendum esse. (Lib. 11. in Ioan. cap. 38.) Considera 2. quid sibi velit illud, [ligatum,] nimirũ vel additis nouis vinculis, vel non solutis prioribus, vt noxius & vinculis dignus, etiam huius Principis iudicio haberetur, & condemnaretur. Vt verò non compatitur impius Pontifex vincto, sic nec tu compateris afflicto pauperi, nec animæ tuæ peccatorum vinculis grauiter astrictæ. Considera 3. difficile hoc iter in quo ad nutum improborum Dominus tuus immaniter trahebatur funibus, & impellebatur verberibus. Verè ambulabat vias difficiles, vt viam æternæ patriæ tibi complanaret, tuq; viam manda-

torum

torum Dei ſine moleſtia curreres. Conſidera 4. & cum Domino tuo ingredere in conſilium hoc malignantiũ; vide hic conſidentes vitulos multos & tauros pingues, obſidentes agnum innocẽtiſſimum, [ſcribas,] Doctores legis, [ſeniores] magiſtratus populi, [Pharizæos,] Iudæorum quaſi religioſos, ventri deditos, inſolentes, crudeles. Tu ne conſentias conſilio & actibus eorum, ſed pauperem eripito de manu potentis, vt etiam tui miſereatur Dominus in die anguſtiæ. *Pſal. 21.*

Sequebatur autẽ Ieſum Simon Petrus *Ioan. 18.*
à longe, & alius diſcipulus. Diſcipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Ieſu in atrium Pontificis. Petrus autẽ ſtabat ad oſtium foris. Exiuit ergo diſcipulus alius qui erat notus Põtifici, & dixit oſtiariæ; & introduxit Petrum vſque in atrium Principis ſacerdotum. Et ingreſſus intro, accenſo igne in medio atrij, circumſedentibus illis, erat Petrus in medio eorũ, & ſedebat cum miniſtris ad ignẽ, vt videret finem, & calefaciebat ſe. *Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22.*

CONSIDERA I. quò ſeſe contulerint

 fugien-

fugientes Apoſtoli tantò ſatellitum furore perculſi, & in fide diuinitatis Chriſti iam vacillantes & dubij. Quis enim credat, Deum talia paſſurũ, præſertim ſi pro recepta Iudæorum opinione temporalibus bonis virtutem compenſari putat? Petrum vide eminus ſequentem & præ cęteris amantem nonnihil animi reſumpſiſſe, vt miniſtris ſe miſcere non dubitet, timidè tamen, minusque conſtanter, vnde & latere ſe poſſe credebat. Conſidera 2. diſcipulum alium, ſiue B. Ioãnem, vt eſt communis ſententia, indiuiduum Petri comitem; ſiue quempiam occultũ Chriſtianum, ciuem diuitem, in domum Pontificis pro familiaritate introeuntem, Petro vt paupere atque ignoto pro foribus expectante. Pauperibus enim non patet acceſſus ad ædes magnatum, & ſi fortè admitti contingat, maximi tribuitur muneris loco, ſi mancipiis pares habeantur. Tu ne aulæ eiuſmodi voluptate capiaris, néue malorum te immiſceas ſocietati: ſi neceſſitas cogat, exi quãtocyus, ne innocẽtia tua malorum conſuetudine inficiatur. Conſidera 3. Petrum minus ordinatè, ſed amici & mulierculæ fauore Pontificis aulam ingreſ-

ingreſſum. Tu itaque dignitates neq. adibis fauoribus, neque fœminarum gratia aucupaberis, nec fraude aut vitio irrumpes, niſi exemplo Petri præcipitium expectes certiſſimum. Ipſas autem dignitates iam & legitimè conſecutus, & Pontificis aulam directa via ingreſſus, non improbis te adiungas, neq. malorũ exempla intuearis; ſed ad conclaue penetrans interius; Dominum tuum qui te vocauit, tibi ſemper ob oculos ponas. Hæc tu pete à Chriſto, rogans vt trahens te poſt ſe, non te deſerat in æternum.

MEDITATIO XIII.

De alapa in domo Caiphæ.

Pontifex ergo interrogauit Ieſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina eius. Dixit ei Ieſus, Ego palã locutus ſum mundo, ego ſemper docui in ſynagoga & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui me audierunt, quæ locutus ſum ipſis, ecce hi ſciunt quid dixerim ego. *Ioan. 18.*

CONSIDERA 1. cùm hactenus in omni vita Christi nihil obseruassent morte, sed ne vinculis quidem dignum, conatus est Pontifex frandulentis quibusdam interrogationibns aliquid ex responsis eius elicere, quod criminis ei loco obiici posset. Non enim peccatum Christi hæc vincula iniecit, sed inuidia Iudæorum, cuius inui-
Sap. 2. diæ causas 14. apud Sapientem enumerat scriptura, Quoniam inutilis est nobis, &c. 2. interrogauit de doctrina an ne à Moyse non discrepet; & de discipulis, quo eos animo delegerit, qua doctrina informarit; quo ipsi in legem sint animo. Hic tu de Christi doctrina interroga, vt eam sequaris; & de discipulis, vt eorum mores imiteris 3. Christus intrepidè respondet, nihil veritus Pontificē, aut consessum tot magnatum; vt tu in causa Dei ne metuas. De discipulis porro tacet, tum quia commendare nō poterat, & accusare nolebat, vt nullius tu famam eleues; laudes si possis, si minimè possis, ne detrahas tamē; tum quia discipulorum causa cum quæstione de doctrina implicata esset, cuius responsio satisfaceret Pontificis quæstioni. Considera 4. puritatem doctrinæ Christianæ,

quam Dominus hostibus suis examinandã proponit. [Locutus sum palam,] quod signum est cãdoris doctrinæ. [Mundo,] nemo ab ea audienda excipitur. [In occulto nihil.] nihil impurum, quod lucem oderit, aut fugiat. Nam quę priuatim dixi, ea volui etiam omnibus aperiri in lumine, & in tectis prædicari. Considera 5. vitio dari Pontifici, quòd quę tam apertè Christus docuerit, ipse ignoret. Ad hunc sanè modum plerique magnates, & docti, non adeunt conciones, vel ne conscientiæ stimulis moueantur, vel quia externis immersi, ea minus necessaria, quæ animam concernũt, arbitrãtur. Tu in verbis Domini meditare iugiter, eumq. roga, vt verborũ suorũ tibi semper memoriã proponat. *Mat. 10.*

Hæc cùm dixisset, vnus ministrorũ dedit alapã Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici? *Ioan. 18.*

CONSIDERA 1. hanc alapam impingi, tum quia occultè pũgebantur hi ipsi ministri, qui ad apprehendendũ Dominum missi, re infecta domum reuersi sunt, dicentes, Nunquam sic locutus est homo; tum ex adulatione, quia videbatur minus reuerenter dictum Pontifici, [Quid me inter- *Ioan. 7.*

terro-

terrogas?] Arrogantibus ac ſuperbis hominibus illud maximè propriũ eſt, vt honorificè agi ſecum velint, titulisq́. ſuis nihil detrahi patiantur; qui tamen iuramẽtis, periuriis & blaſphemiis, diuinum nomen & honorem violant. Diſce multos eſſe, qui diuitum & magnatum iniuriam vlciſcantur; qui Chriſti & pauperum, neminem. Conſidera 2. iſtius iudicij iniquitatem, vbi impunè, & applaudentibus iudicibus, nocendi quilibet habet poteſtatem. 3. Hanc alapam maximæ fuiſſe crudelitatis; cuius ſolius fit peculiaris mẽtio, præter cæteras quas magno numero & iam prius acceperat Dominus, & poſtea accepturus erat. Tu Chriſti & aliorum admonitiones diſce grato ferre animo; imò verò ora Dominum, ne quid à te fieri patiatur, cuius non te vel per alios, vel per conſcientiam tuam arguat.

Ioan. 18. Reſpõdit ei Ieſus, ſi malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſi autem benè, quid me cædis?

Mat. 5. CONSIDERA 1. Chriſtum, qui ſuos docuerat præbere alteram maxillam, percutienti vnam, nihil facere repugnãs doctrinæ ſuæ; tum quia nõ ſolùm maxillam, ſed vniuer-

vniuerſum corpus & verberandũ & configendum obtulit; tum quia hoc loco nihil queſtus eſt, nullam iniuriam retulit, non repugnauit, ſed verberãtem docuit, atque ad conſcientiam ſuam modeſtè remiſit. 2. noluiſſe Dominũ tacere omninò, ne quoquo modo videretur iuſtè aliquid propeccatis ſuis paſſus, qui non pro ſuis, ſed pro noſtris delictis ſuſtinuit. Admirare, & imitare Domini tui benignitatem, qui tãtam iniuriam neque verbo eſt vltus neque facto. Tu ab eo impetra conſtantiam animi & manſuetudinem, vt mitis ſis & humilis corde.

MEDITATIO XIIII.

De negatione Petri.

Petrus verò ſedebat foris in atrio deorſum: quem cũ vidiſſet ancilla oſtiaria ſummi ſacerdotis, ſedentem ad lumen, & calefacientem ſe, & eum fuiſſet intuita, dixit: Et hic cum illo erat: & acceſſit ad eum ancilla dicẽs: Nunquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? Dicit ille, nõ ſum: & negauit

Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

gauit coram omnibus dicẽs: Mulier non noui eum, neque ſcio neq. noui quid dicas:&exiit foras ante atrium; & gallus cantauit.

CONSIDERA 1. cùm Apoſtoli omnes, vti pręmonuerat Dominus, ſcandalũ paſſi ſint, ſolius tamen Petri negationes ab Euangeliſtis, & quidem omnibus recenſeri; tum quia ita nouum & incredibile videretur, Petrum poſſe Chriſtum negare, vt hoc eius peccatum nec ab ipſis Euangeliſtis cõprehendi potuerit; tum quia ſuperiorum errores à pluribus conſpiciuntur; tũ vt ex peccato illius, qui fundamentum erat Eccleſię, tu & alios diſcipulos ſcandalum paſſos eſſe ne dubitares, & de viribus tuis ne præſumeres; quia nullũ peccatum facit homo, quod non faceret alter homo, ſi deſit Rector per quem factus eſt homo. Conſidera 2. quãdo neget Petrus? nocte, & cùm frigus eſſet. Si lumẽ veritatis aſpicere nolis, & in actionibus tuis ad Chriſtum in conſcientia tua te cõuertere; & ſi refrigeſcat in te Charitas Dei & proximi, ne dubites te lapſurum vel in errores fidei, vel in grauiora delicta. Conſidera 3. vbi neget?

neget? vbi nimirum Christus captus & ligatus est, in consortio malorum, in colloquio mulieris. Hæc tu fuge, si velis esse pius. Et quamuis B. Cyrillo D. Petrus negasse Dominum videatur non tam metu, ne quid mali pateretur, quàm quodã quasi amore, ne domo pelleretur, Christique præsentia priuaretur; graue tamen commisisse peccatum certissimum est. Cauebis ergo ne tu vllo pietatis prætextu legẽ Dei atque Ecclesiæ transgrediaris. Neq. enim facienda sunt mala, vt eueniãt bona. Considera 4. nõ solùm ab eo negari Christum qui dicit Iesum non esse Christum, verùm & ab illo, qui cùm sit, negat se esse Christianum, Christiq; discipulum; & hoc non verbis modò fieri, sed etiam factis, ab his qui confitentur se nosse Deum, factis autem negãt. Putas enim (ait B. Bernardus) filium Dei reputat Iesum, quisquis ille est homo, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec pręceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? Tu igitur quoties Christum negasti? & tamen cum Petro ad pœnitẽtiam non reuertisti. 5. Gallus cantauit, sed ab occupato non obseruatus; quia necdum respicie-

Amb. in Lucam.

Lib. 11. in Ioan. cap. 41.

Rom. 3.

Aug. trac. 113. in Ioan.

Tit. 1.

Hom. in octaua Paschæ.

respiciebat Petrũ Dominus. Tu nullo vnquam tempore sic negociis aut peccatis immergaris, quin & Dei intus loquentis vocem attendas, & proximum foris audias monentem.

Mat.26. Mar.14. Luc.22. Exeunte autẽ illo ianuam, vidit illum alia ancilla, & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno. Et alius videns illum, dixit: Et tu de illis es. Petrus verò ait: O homo non sum. & negauit cum iuramento, quia non noui hominem.

CONSIDERA 1. vt Petrus flagrans desiderio videndi Domini, qui in interiori & superiori aula, coram concilio vinctus stabat, non domũ, sed atrium inferius egressus, aliquid de Christo explorare conatus sit; vt tu omnes vias & modos excogites & tentes, Domino tuo in meditationibus tuis fruendi, eumque per virtutum opera consequendi. Considera 2. quòd dæmon si victor semel euadit, reuersus sæuiat atrocius, & grauius lædat. Prius vna ancilla, & quidem modestè Petrũ aggressa est; accessit deinde ad ancillam ministrorũ aliquis; denique multi simul, & grauissimis verbis vrserũt, & quasi oppresserũt. Vnde

Petrus

Petrus 1. ſimplicibus verbis negauit. 2. adiecit iuramentum. 3. cœpit anathematizare & deteſtari. Cauebis ergo ne te vnquã diabolus ſuperet, quia Chriſti morte ſemel victus ſola reſiſtentia fugatur, iuxta illud: Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis. *Iac. 4.* Conſidera 3. Petri caſum. 1. de ſe præſumpſit 2. in horto dormiuit. 3. condiſcipulos reliquit. 4. malorum conſortio ſe adiunxit. 5. negauit. Itaque initium lapſus, eſt præſumptio & negligentia diuini cultus.

Et interuallo facto quaſi horæ vnius, *Luc. 22.* alius quidam affirmabat dicens: Verè & hic cum illo erat. Nam & Galilæus eſt. dixerũt ergo ei: Nunquid & *Ioan. 18.* tu ex diſcipulis eius es? Negauit ille & dixit, non ſum. Et acceſſerunt qui aſtabãt & dixerunt: Verè & tu ex illis es, nam & Galilæus es, & loquela tua manifeſtũ te facit. Dixit ei vnus ex ſeruis Pontificis, cognatus eius cuius abſcidit Petrus auriculã: Nónne ego te vidi in horto cum illo? Ille autem cœpit anathematizare, dete- *Mat. 26.* ſtari, & iurare, quia neſcio hominem iſtum quem dicitis, & continuò ad-

Mar.14. huc illo loquente gallus iterum cantauit: & conuersus Dominus respe-
Luc.22. xit Petrum: & recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat, Quia priusquam gallus cantet bis, ter me negabis, & egressus foras Petrus fleuit amare.

CONSIDERA 1. Petrum reuersum ad ignem, vt suspicionem à se amoueret, liberius fuisse cum ministris collocutũ. Nam ex sermone iudicatus est Galilęus. Tu itaque qui Christi seruus es, ne sermoné cum improbis misce; sint colloquia tua sublimia, qualia Apostolorum fuisse ex Apostolicis Actis, atque ex eorũ Epistolis intelligis. Qui enim sęculariũ vanis sermonibus oblectatur, facilè & eorum mores imitabitur, & igne calefiet, & studiis capietur. 2. Petrus ex sermone est agnitus Christi discipulus, & Galilęus. Tu quoque sic totum te compone, vt Christi sectatorem te esse, & Galilæum, hoc est, à mũdana ad spiritualem vitam transmigrantem, atque ad cælum aspirantem, omnes vel ex ipsa externa conuersatione agnoscant. Considera 3. Christi in suos benignitatem: Tot malis ipse oppressus, sui tamen quasi oblitus

oblitus, discipuli curam non omisit; vlterius peccando ne progrederetur cohibuit; & post tertiam negationem, subsistere coëgit; intuitus eum, non corporis oculis (id enim non poterat, in superiore cubiculo vinctus, & ministris vndique circũseptus) sed internis misericordiæ radiis ad ipsum conuersus, quibus cor tetigit, illustrauit, & emolliuit. Christi enim intuitus illuminat conscientiam, vt peccata agnoscantur, perinde vt solis radius cubiculum. Considera 4. ordinẽ huius conuersionis. 1. gallus cantauit. 2. Dominus respexit. 3. Petrus recordatus est verbi Iesu. 4. egressus est. 5. fleuit amarè. Sine Christi intuitu frustra cantat gallus. Tu igitur concionatores & admonitores audi vt gallos; ora vt ad te se conuertat Dominus: verba audita reuolue. Fuge malorum occasiones, & age pœnitentiam. Magna est hic tibi, etiam grauissimo peccatori fiducia veniæ, quando tantum peccatum misericordia Domini, talẽ veniam meruit, vt illud Petro nunquam Christus obiecerit. Sed qui cum Petro peccasti, non te excuses cum Adamo, verùm lachrymas emitte cum Petro, qui teste B. Clemente, toto vitæ suæ *Lib. 2. recognit.*

 tem-

tempore, ſemper poſt primum galli cantum, ad orationem conſurgens, ſomno non amplius indulſit.

MEDITATIO XV.

De falſis teſtibus in domo Caiphæ.

Mat. 26. *Mar.* 14. Principes autem Sacerdotum, & omne conſilium, quærebant falſum teſtimonium aduerſus Ieſum, vt eum morti traderent, & nõ inueniebant, cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent. Multi enim falſum teſtimonium dicebant aduerſus eum, & conuenientia teſtimonia non erant. Nouiſſimè autem venerunt duo falſi teſtes, & ſurgentes, falſum teſtimonium ferebant aduerſus eũ, dicentes: Hic dixit, quoniam nos audiuimus eum dicẽtem: Ego diſſoluam hoc templum Dei manufactum, & poſt triduum aliud non manufactum ędificabo; & nõ erat conueniẽs teſtimoniũ illorũ.

CONSIDERA I. Pontificem, cùm nihil ex Chriſti verbis morte dignum elicere poſſet,

possent, præsentes, qui eius concionibus
frequentes adfuerant, percunctatum esse,
singulosq. id attulisse, quod ad eius damnationem facere putabant; fuisseque sollicitos, vt crimen aliquod capitale adducerent, iuxta illud; Scrutati sunt iniquitates, *Psal. 63.*
defecerunt scrutantes scrutinio; cogitaue- *Psal. 20.*
runt consilia, quæ non potuerunt stabilire.
Considera 2. puritatem vitę Domini tui, quæ tanta erat, vt difficile fuerit tale mendacium de eo comminisci, quod veri speciem, ipsorum etiam aduersariorum testimonio, haberet. Disce tu 1. iniustè neminem accusare, quia detractor, & falsus testis, ad famæ restitutionem obligantur.
2. mendacia omnia fugere, quia ne ipsis quidem malis potest placere mendax. 3. ad Christi imitationem sic viuere, vt etiam fidei hostes in vita tua nihil habeant, quod obiiciant; sed ex bonis operibus te consi- *1 Pet. 2.*
derantes, glorificent Deum Patrem.
4. nunquam aduersus conscientiam tuam rationes quærere excusandi peccati. Falsa enim sunt, & non conuenientia testimonia, quæ Deus non ignorat, & quibus conscientia non pacatur. Considera 3. hos duos falsos testes in medium surgentes,

quorum præter cæteros teſtimonia referuntur, vel quia maioris momenti, vt ex illis vanitatem cæterorum noris; vel quia myſterium Dominicæ mortis, de quo nũc agitur, continent; ſed conuenientia non erant: 1. quia teſtes inter ſe non conuenirent, hoc dicente, [deſtruam;] altero, [poſſum deſtruere.] 2. quia falſa; nullum enim fecerat Dominus verbũ deſtructionis, vel reædificationis; ſed dixerat
Ioan.2. [ſoluite,] & [excitabo,] de morte & reſurrectione ſua locutus. 3. quia nulli damnum intuliſſet, ſi quod deſtruxiſſet, poſt triduum reſtituiſſet. 4. quia non videbatur vires excedere illius, qui Lazarũ quatriduanum excitaſſet. 5. quia ſola eiuſmodi verba, etiam falſa & iactantis hominis, non tam mortem, quàm irriſionem & cõtemptum mereri videbantur. Tu diſce 1. Chriſti verba in alios ſenſus non torquere. 2. nihil aliter quàm geſtum ſit, referre. 3. ex aliorum factis vel dictis, quæ pium ſenſum admittunt, nunquam ſiniſtrè de eorũ animo, vel intentione iudicare. Compatere etiam Chriſto Domino, in cuius interitum & detrimentum, tam multum multi laborant; rogaq́ue illum,
vt

vt vero ſcripturarũ intellectu inſtructum, non te patiatur in hæreſes labi.

Et ſurgens ſummus Sacerdos in medium, interrogauit Ieſum, dicens: Non reſpondes quicquam ad ea quę tibi obiiciuntur ab his; quæ iſti aduerſum te teſtificantur? Ieſus autem tacebat, & nihil reſpondit. Rurſus ſummus Sacerdos ait: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus Filius Dei benedicti. *Mat. 26. Mar. 14.*

CONSIDERA 1. Cùm nihil vel morte vel accuſatione dignũ eſſet inuentum, quod quaſi crimen apud gentilem Præſidem Pilatum obiici poſſe videretur, Pontificem ira commotum, denuò interrogationes inſtituiſſe, vt ex reſponſis aliquid deprehenderet. Dictabat ei quidem conſcientia, nihil alicuius momenti allatum fuiſſe; exaggerat tamen quæ falſa nouerat. Conſidera 2. Chriſtum tacuiſſe, tum, quia non ignorabat ſingulis ſuam conſcientiam reſpondere; tum ne eloquentia ſua mortem ſubterfugeret. Docet te 1. iniurias omnes, & mendacia contemnere, patienterque tolerare,

partim, quia licet fortaſſè in eo quod obiicitur, ſis innoxius, aliis tamen multis, quorum à nemine accuſaris, Deo peccaueris; partim, quia ex eo deterior non es, quòd ab aliis malus habearis; cùm talis ſit vnuſquiſque, qualis eſt in oculis Domini. 2. ne reſponſo quidem dignari eos, qui iniuriam inferunt; quia tales ſua ipſorum arguit conſcientia. Conſidera 3. quid tacens interea egerit Dominus: Pro eo, inquit, vt me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam. Orabat igitur, vt ad te tranſiret fructus paſſionis huius. Itaque in omni mẽtis anguſtia, te quoque ad Chriſtum conuertes. Fieri enim non poteſt, vt memor iniuſtæ huius accuſationis ſuæ, non miſereatur tui in calumniis, & falſis contra te delationibus. Conſidera 4. Pontificem malè hoc Domini ſilentium interpretantẽ, vti adiuratione his verbis: [Adiuro te,] ſeu vt Gręcis eſt, Exorcizo te, qua voce vtimur in dæmonum coniurationibus. Expende quis habitus fuerit Dominus tuus, exiſtimatus nimirum obſeſſus à diabolo. Coniuratione autem ſua, duo Pontifex poſtulauit, 1. ſitne ipſe Chriſtus, hoc eſt, Meſſias in lege promiſſus. 2. an ſit

Pſal. 108

ἐξορκίζω

Filius

Filius Dei. Ideò enim occiſus eſt, quia erat Christus; ideoque humanum genus ſua morte redemit, quia filius erat Dei, æquali nimirum maieſtate, cũ offenſo Deo Patre.

Ieſus autem dixit illi, Tu dixiſti: Ego ſum. Veruntamen dico vobis, A modo videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. *Mat. 26. Mar. 14.*

CONSIDERA 1. Chriſtũm adiuratum per nomen Dei viui, vlteriùs non tacuiſſe; tum, ne tacendo videretur mortem fugere; tum, vt tu diuinum nomen ſemper reuerearis. [Tu dixiſti.] i. ſic eſt vt dicis, vtq. tibi conſcientia tua teſtatur. Conſidera 2. mentionẽ facere iudicij futuri verbis Danielis: 1. quidem, vt calumniam affectati regni amoueret, quia non quæreret terrenum regnum, ſed cæleſte atque æternum. Deinde verò, vt timore futuri iudicij, à malo iudicio nunc abſtinerent. Diſce 1. in actionibus tuis memorari nouiſſima tua. 2. in calumniis habere patientiam, quia poteſtas tibi dabitur iudicãdi calumniatores tuos, & eos qui te afflixerunt. 3. Semper quidem, ſed maximè in fine vitæ cõfiteri veritatem, etiam cum ſummo *Dan. 7.*

corporis & rei familiaris detrimento: & roga Dominum, vt salubri timore configat carnes tuas, meditationeque passionis suæ, cor tuum accendat.

MEDITATIO XVI.
De prima Christi damnatione, & illusione.

Mat. 26. Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemauit. Quid adhuc egemus testibus? Ecce
Mar. 14. nunc audistis blasphemiam: Quid vobis videtur? At illi respondentes, dixerunt: Reus est mortis.

Si quando grauior aliquis casus sese offerebat, grauiusque accidebat malum, qualis sine dubio est blasphemia; scindebant, seu lacerabant vestes Iudæi, eoque signo rei grauitatem declarabant, quæ & cor dolore scinderet, & digna sit, quę cum honoris & bonorũ iactura vindicetur: Pontifici autem, huiusmodi vestimentorum
Leuit. 21. scissio prohibebatur hac lege: Pontifex caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet: Nihilominus tamen indoctus hic Pontifex, legem ignorans, & vestem con-

conſcidit, & eam ſcindendo, finem Pontificatui Iudaico impoſuit. Diſces itaque Dei iniuria commoueri, etiam incommodo tuo, rerumq́ue tuarum detrimento. Conſidera 1. quæ de Domino tuo fuerit Iudæis opinio. Habitus fuit 1. impoſtor ſeu incantator. Vnde Iudas, Ducite eum cautè, ne præſtigiis oculos inuoluens, vobis elabatur. 2. iniurius hominibus: Sic, ait, reſpondes Pontifici? 3. obſeſſus à diabolo, in exorciſmo & coniuratione Pontificis. 4. Blaſphemus in Deum. 5. Pſeudopropheta, in ſequentibus irriſionibus miniſtrorũ. Ecce quibus titulis honoratus fuit hac ſua paſſione Dominus tuus. Cõſidera 2. quo animo audiuerit Chriſtus hanc vnanimem omnium vocem, [Reus eſt mortis:] & quidem ab his quorum mortuos ſuſcitauerat, quorũ curauerat infirmos, quorũ vtilitatẽ promouerat. Admirare impiorũ malitiã, Chriſtiq. manſuetudinẽ, qui hac mortis ſententia nihil motus, paratũ ſe ipſe obtulit, etiã pro interficientibus mori. Roga itaq. vt hæc mortis ſentẽtia te liberet à ſentẽtia mortis ęternę.

Et viri qui tenebant Ieſum, illudebant ei, cædentes. Et expuerunt in faciem eius, *Luc. 22.*

Mat. 26. eius,& colaphis eum ceciderunt, &
Mar. 14. velauerunt eum,& percutiebant faciem eius,& interrogabant eum, dicentes; Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?

CONSIDERA 1. Christum in concilio, non solùm vinculis ligatum, sed multorum manibus detentum fuisse, qui prolata iam mortis sententia, tãquam damnatum, & in quem peccare non poterant, sæuissimè tractauerunt. Auxit crudelitatem diabolus, qui quòd nihil peccati tota eius vita obseruasset, his pœnis aliquam impatientiam mouere cupiebat. Considera 2. tunc in Christum ita sæuitum esse, quando se fassus est Filium Dei. Tunc enim tibi sunt expectandæ ab hominibus atque dęmonibus tentationes, quando vitæ, morumque mutatione, filium te esse Dei commonstraris. Considera 3. illusionum genera fuisse quatuor. 1. ceciderunt pugnis, planaque manu caput, collum, faciem. 2. expuerunt in faciem sordida pectoris phlegmata. 3. faciem velauerunt, quæ mitis admodum suauitate sua, impetum eorum & impietatem remorari videbatur. 4. addiderunt conuitia verborum. [Prophetiza,]

tiza,] quasi dicant, non es verus Propheta, sed pseudopropheta. Tu ab his illusionibus caue. Nam 1. Christum cædis, si lædis proximum; & caput quidem, si superiores; colaphis, si occultè; faciem, si apertè. 2. cõspuis, si sordidis cogitationibus conscientiam maculas. 3. faciem velas, si oppressa conscientia in peccato perseueras. 4. conuitiaris, si Christi promissionibus aut minis non credis. Caue tibi, ne Iudæorum imitatus peccata, eorum consequaris punitionem. Nam illi & velamen habent in corde, ne Christum agnoscant; & vbique omnibus irrisui habentur; & multis sæpè conuitiis verberibusque afficiuntur, exosi Deo & hominibus: rogaque Dominum, vt hæc eius opprobria te ab æternis animæ opprobriis liberent.

Et alia multa, blasphemantes dicebant in eum. Luc. 22.

INGREDERE in Pontificis aulam, & vide quid nocte tota improbi ministri egerint, & Christus passus sit. Theophylactus ait, ex hesterna crapula ebrios, multa petulanter effudisse, iuxta illud: In me psallebant, qui bibebant vinum. & quia Euangelista his paucis verbis, totius noctis laborem In Luc. 22. Psal. 68.

borem absoluit; tu inspice vaticinia Pro-
Isa. 50. phetarum, quid de his illusionibus dicant.
Isaias, Corpus meum dedi percutientibus,
& genas meas vellentibus: faciem meam
non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me; faciẽ meam posui vt petram
Thren. 3. durissimam. Hieremias: Dabit percutienti
se maxillam: satiabitur opprobriis. Iob:
Iob 16. Aperuerunt super me ora sua; exprobrantes percusserunt maxillam meam; satiati sunt pœnis meis. Significatur 1. totum Christi corpus diris modis percussum; fustibus, pugnis, & calcibus verberatum; atque in terram deiectum, pedibus conculcatum: hoc enim videtur sonare illud: Dedi corpus meum percutientibus. 2. barbam crudeliter euulsam facie cruentata. 3. vultum Christi pugnis contusum & liuidum. 4. varia sannarum & illusionum genera; denique nihil prætermissum quod ad pœnam excogitari poterat. Satiati sunt (inquit) pœnis meis. Existima enim, sic de voluntate Pontificum à ministris exceptum fuisse hac nocte Dominum, vt licet cruci non affigeretur, vitam tamen diutius naturaliter prorogare non posset. Vnde mirandum non est, quòd
citiùs

citiùs opinione Pilati ex hac vita decesserit. Tu porrò in Christum ipsum intuere; vide faciem ad verbera expositam, amabilem, oculosque spirantes amorem, eoque maiorem præ se ferentes charitatem, quo magis verberibus contunderetur Dominus. Sacerdotes iam ad quietem discesserant, & vicissim ministri ad somnum se componebant; soli spōso animæ tuæ quies nulla dabatur; cui somnus alius non erat capiendus, quàm in lecto crucis. Roga eū, vt hæc eius nocturna inquietudo, animæ tuæ quietem adferat æternam.

MEDITATIO XVII.

De secunda Christi damnatione in domo Caiphæ.

Et confestim mane facto, vt factus est dies, conuenerunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi, & scribæ, aduersus Iesum, vt eū morti traderent: & duxerunt illum in concilium suum, dicētes: Si tu es Christus, dic nobis. *Mat. 27. Marc. 15. Luc. 22.*

Con-

CONSIDERA 1. iam ſecundo conuenire conſilium, tum vt plures in Christi damnationem conſentirent (nocte enim nonnulli fortaſſis abfuerãt) tum vt quod nocte iudicatum erat, id luce confirmaretur. Conuenerunt porro tres ordines hominum, ſacerdotes, ſeniores populi qui magiſtratum ciuilem conſtituebant, & ſcribæ, ſub quibus etiam Pharizæi intelligendi ſunt, Iudæorũ religioſi: vt diſcas 1. omnes homines attuliſſe cauſam mortis Domino. 2. Chriſtum pro omnibus mortem obiiſſe. 3. omnes homines meritò ſe peccatores agnoſcere debere, atq; à Chriſti morte medelam quærere. Conſidera 2. hanc quæſtionem, [*Si tu es Chriſtus,*] tota nocte agitatam, quæſtionem eſſe diaboli Chriſtum tẽtantis, Si filius Dei es; &
Mat. 4. eorum qui Domino in cruce inſultabant,
Luc. 23. Si tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſum: Significatur 1. eos qui de fide dubitant; & filios eſſe diaboli, & in nocte verſari. 2. omnium peccatorum hoc eſſe vitium, vt ignorent quis ſit Chriſtus. Alij volunt diuitem, nobilem &c. nolunt conſputum, deſpectum, pauperem: alij arbitrantur auſterum, moroſum; ignorantque quàm ſuauis

uis ſit Dominus:alij contra ita miſericordem, vt nullis peccatis offendatur, nullos noxios puniat. Tu in Chriſto & miſericordiam agnoſce, & iuſtitiam; & diſce ſummam eſſe hac in re poſitam ſapientiã, vt cognoſcas Deum verum, & quem ille miſit Ieſum Chriſtum. Hoc itaq. concilium malignantium ingreſſus, viſoque ſponſo tuo à Iudæis tam fœdè & malè accepto, admirare primùm, & inquire: Túne es Chriſtus? fieríne poteſt, vt tu qui filius es Dei, author creaturæ, gloria ſanctorũ, hæc tanta pro me vili vermiculo ſufferre volueris? His interrogationibus teipſum excita, vt Chriſto patiente plenoque confuſionis, tu interea commoda & honores mundi ne conſecteris. *Ioan. 17.*

Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi; ſi autem & interrogauero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. ex hoc autem erit filius hominis ſedẽs à dextris virtutis Dei. Dixerũt autem omnes: Tu ergo es filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego ſum. *Luc. 22.*

CONSIDERA I. Dominum tuũ priuſquam ſe Chriſtũ fateatur, præfatione vti: cùm enim nocte illud clariſſimè eſſet pro-

fessus, & adeò nō profecisset, vt inde etiam maior calumnia strueretur; hic videtur secundò de eadem re interrogatus, respondendi facere difficultatem; vt discas, diuinas suggestiones semel reiectas difficilius reuerti. Considera 2. toties interrogantes & nunquā credentes. Sunt enim qui semper eadem quærendo repetant, non quòd ignorent veritatem, sed quo aliquid tandem eliciant, quod suæ placeat voluntati,
2. Tim. 3. desiderioq. non repugnet, semper discentes, & nunquam ad scientiæ veritaté peruenientes. Et tu quàm multa nosti, &
Luc. 12. quā pauca exequeris? ne dubites seruum scientem voluntatem Domini, & non faciētem, plagis vapulaturum multis. Considera 3. [Si interrogauero, non respondebitis mihi.] Superbiam impiorū, qui Christum Dominum responso nō dignarentur. Quid facient in futuro iudicio, quando illum habituri sunt iudicé, quem indignum iudicarunt suo responso? Hoc tu cogita quoties in consciētia à Deo monitus, Dei te monentis inspirationem reiicis. Considera 4. Dominum interro-
Psal. 109 gatum an esset Christus, respondisse ex psalmo Dauidis, de sessione à dextris Dei,
quem

quem pſalmum eis aliàs obiecerat, vt eo argumento quod aliàs diſſoluere non poterant, diſcerent Meſſiam eſſe Filium Dei; quod & facilè intellexerunt, quia ex hoc reſponſo inferunt; Tu ergo es filius Dei? Admirare Domini bonitatẽ, qui non ceſſat eos commonere, & à tanto flagitio deterrere, quo nõ in merum hominem peccaturi eſſent, ſed in eũ qui Filius erat Dei. Tu Chriſtum ora vt ſui reuerentia te moueat, vt peccans ſemper illud cogites: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. quia Deus eſt, qui offenditur, non ſolus homo. *Mat.22.* *Pſal. 50.*

At illi dixerunt: Quid adhuc deſideramus teſtimonium? ipſi enim audiuimus de ore eius. Et ſurgens omnis multitudo eorum, vinciẽtes Ieſum, adduxerunt vinctum ad Pilatum Præſidem. *Luc.22.* *Mat.27.* *Mar.15.*

CONSIDERA 1. ex optimo reſponſo malam conſecutionem; quia Chriſtus eſt, & Filius Dei, ideò Pilato ad mortem offerendum. Tu nõ rarò ſimili modo concludis; Deus miſericors eſt, ergo liberius peccemus. Conſidera 2. ex D. Chryſoſtomo, noluiſſe Iudæos clam Chriſto inferre mortem, ſed palam; vt parta miraculis gloria, *Hom.85. in Mat.*

hac publica mortis ignominia adimeretur; & paſſim flagitioſus apud omnes haberetur. At Deus longè alia ratione hoc permiſit. 1. Vt qui pro omnibus moriebatur, non à Iudæis tantùm & occultè, ſed à gentilibus, & coram omnibus, morte afficeretur. 2. Vt mors iſta quæ videbatur infamis & ignominiæ plena, vniuerſum populum ſanctificaret, & coram vniuerſo mũdo in poſterum eſſet glorioſa. Tu cum
Galat. 6. B. Apoſtolo Paulo in alio nullo gloriare, quàm in cruce Domini noſtri IeſuChriſti.
Ser. 8. de Paſſ. Domini. Conſidera 3. ex S. Leone, offerri Ieſum duris nexibus vinctum; colaphis & alapis frequentibus cæſum; ſputis oblitum; clamoribus prædamnatum; vt inter tot præiudicia, quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus abſoluere. Tu Dominum tuum in hoc itinere quàm proximè ſequere; eumque pro te, non iam præſidi Pilato, ſed Deo Patri offer, & repræſenta; vt qui ſemel morti addictus eſt, pro peccatis tuis, morte ſua te à peccatis omnibus & malis liberet.

MEDI-

MEDITATIO XVIII.

De morte Iudæ.

Tunc videns Iudas qui tradidit eum, quòd damnatus esset; pœnitētia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. *Mat.27.*

CONSIDERA 1. Iudã audita fama damnationis Christi à principibus sacerdotũ, pœnitentia ductum, vel bona, ex magnitudine mali; vel falsa, ex pudore quo se arbitrabatur ferre non posse secuturas ignominias, retulisse pecuniam. Id porrò à Deo permissum est, quo Christi innocētia omnibus fieret manifesta; ne Iudæi hoc argumento Domini necem vt iustam confirmarent, quòd ab intimo discipulo, qui secreta omnia nosset, ipsis esset ad mortē traditus. Cæterùm Iudas non vt moreretur Christus, sed vt pecuniam ipse acciperet, Dominum tradiderat; sperans fore, vt sicut aliàs frequēter, ita etiam hoc tempore euaderet. Disce 1. Domini innocētiam,

quam etiam traditor grauissimis verbis, proiectaque pecunia est palam testatus. 2. acerbos Christi dolores, qui etiam proditori attulerunt pœnitentiæ causam. 3. dæmonis cõditiones, qui ante peccatũ fascinat oculos, ne turpitudinem videas; post peccatum reuelat turpitudinem, vt desperes. Considera 2. responsum sacerdotum: [Quid ad nos?] Petrus commisso peccato egressus est malorum consortium, veniamque obtinuit; Iudas cõtrà accessit ad malos, & in desperationem incidit. Disce eos qui in aliorum gratiam Dei maiestatem offendunt, tandem ab illis deseri, semper quidem post hanc vitã, quando vnusquisque onus suum portabit; sępè etiam in hac vita. Considera 3. malæ conscientię grauem carnificinam, quæ nec confusionem nec laqueum metuit. Tu quidẽ cum Iuda de peccatis tuis dolẽs, dicito, Peccaui, tradens sanguinẽ iustum, nempè Christi passionem, mihi ad salutẽ animæ meæ datam, peccatis meis sæpius à me proieci, sed in misericordia Christi confisus ne desperes; verùm orando adiungito: Tu Domine redde eã mihi, vt prosit animæ meæ. Considera 4. ex sacerdotum responso satis

tis indicari, Christum ab eis non propter peccatum vllum à se perpetratum, sed ex inuidia mera tradi in mortem. Hoc enim est, [Quid ad nos?] quasi dicant, nihil nostra interest, siue iustè, siue iniustè pereat, dummodo pereat. Considera 5. [Tu videris.] à malis nihil præter desperationis materiam reportari. Disce 1. malorũ superiorum mores, quibus nihil curæ est, quomodo subditi viuant, dum ipsi commodis suis & desideriis faciant satis. Disce 2. afflictis compati, eosque verbis suauibus, si rebus nõ potes, solari. 3. in afflictionibus tuis nõ quosuis adire, sed illos quærere, qui & à Deo tibi dati sunt animarũ curatores, & vita prudentiaque commendantur.

Et proiectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. *Mat. 27.* *Act. 1.*

CONSIDERA 1. Iudæ facinus, quod omnem mensurã vltionis excesserat, nullum alium mereri iudicem, aut carnificem, quàm ipsummet Iudam. Ab alio enim occisus sperare potuisset veniã; à seipso suspensus, nouum incurrit crimen *D. Leo ser. 3. de Pass. Do.*

 homi-

homicidij & deſperationis. En vt peccato peccatum augetur, ſi non tempori occurras. Conſidera 2. quàm malè perire ſoleant apoſtatæ à fide vel à religione. Tu caue ne Eccleſiam vel vocationem tuam deſeras: Incides enim in laqueum diaboli, ſtabitque diabolus à dextris tuis (quod à
Pſal. 108 Dauide de Iuda prædicitur) ad nutum te ſuum hic agitans, & demum in infernum deiiciens. Conſidera 3. quis finis maneat peccatores; nempe vt ſuſpenſi in aëre, neque cælum attingãt, neque terram, nihilque præter funem poſſideant. Amittunt enim cæleſtia, & temporalibus bonis deſtituuntur, quæ ſola quærebant; funeq. peccatorum conſtricti, à dæmone qui Princeps eſt aëris huius, detinentur & pẽdent. Et quidem in fine vitæ iſta certò peccatoribus omnibus communia ſunt; in hac porrò vita etiam quibuſdam eueniũt, qui bonis terrenis ſpoliati, ſic nihilominus prauis deſideriis ſuffocantur, vt ad cælum oculos conuertere vix poſſint. Conſidera 4. crepuiſſe medium diffuſis viſceribus; vt qui viſcera charitatis amiſerat, amitteret etiam viſcera ſua; & qui omnia ſtudia ſua eò contulerat, vt multa poſſi-
deret,

deret,etiã ipſa inteſtina perderet. Tu quidẽ cum Iuda nũmos,diuitias,mundanaq́; omnia proiice; ſed ad aliam ne feſtina arborem,quàm ad Domini crucem; quẽ roga,vt te ſibi configat, & diſſolutis peccatorum laqueis, funiculo charitatis ſuæ te ſtringat: Si enim ipſemet Iudas (vt B. Leo affirmat) à Chriſto crucifixo obtinuiſſet remedium, niſi feſtinaſſet ad laqueum;tibi vtique datur ſpes certa, & veniæ obtinendæ,& gratiæ conſequendæ. *Serm. 11. de paſsione Domini.*

Principes autem ſacerdotum acceptis argẽteis,dixerunt: Nõ licet eos mittere in cor bonam, quia preciũ ſanguinis eſt. Conſilio autẽ inito, emerunt ex eo agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus eſt ager ille Haceldema, hoc eſt, ager ſanguinis, vſque in hodiernum diem. Tunc impletũ eſt quod dictum eſt per Hieremiam prophetam:Et acceperũt triginta argenteos, precium appretiati quem appretiauerunt à filiis Iſraël;& dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus. *Mat. 27.*

Conſidera 1. Dei manſuetudinem & bo-

nitatem, qui ministros suos ita voluit ab omni sanguinis effusione esse alienos, vt etiam in lege veteri nec ipsam pecuniam, qua mors hominis empta fuisset, cedere vellet in vsum eorum. Considera 2. præposteram religionem horum sacerdotum, qui non verebantur sanguine innocentis conscientias suas scelerare, & verebantur precio sanguinis gazophylacium inficere. Illis tu similis es, quoties res exigui momenti magni æstimas, & grauem Dei of-
Mat. 23. fensam nihili ducis: colans culicem, & deglutiens camelum. Considera 3. Iudæos hanc pecuniam non in suum, sed in aliorum vsum conuertisse; vt discas 1. totum Christum nobis datum esse, cuius etiam precium nobis cessit. 2. liberalitatem hominum auarorum, qui non suis, sed alienis pecuniis conferunt eleemosynam. Considera 4. his pecuniis emptum esse agrum in sepulturam peregrinorum; vt discas 1. non solas animas Christi morte magna commoda accepisse, sed etiam corpora; quia quidquid boni cõfertur homini, illud totum passioni Christi acceptum ferre debemus. 2. per Christi mortẽ nobis veram perpetuamq; requiem comparatam.

ratam. 3. ex [a] D. Ambrosio, & [b] Hieronymo, hunc mundum (qui alibi ager vocatur, quem finxit ex nihilo figulus Deus) emptum precio sanguinis Christi, nõ quidem in omnium hominũ, sed in peregrinorum tantùm sepulturam; vt in eo pacata conscientia illi soli quiescant, qui se peregrinos constituunt super terram, ad cælestem patriã aspicientes. Tu ergo si precij istius particeps esse velis, peregrinus esto; cæcis oculis mundanas res pertransi; nihil appete terrenorum; deniq. morere mundo, vt in Christo suauiter cõquiescas. Considera 5. hanc rem confirmari prophetia siue Hieremiæ, in ijs libris, qui ad nos non peruenerunt, siue Zachariæ (vt est communis expositio, nomen Hieremiæ, non ab Euangelista, sed à scriptore aliquo additum) siue variorum, vt vult Epiphanius; discis non solùm in precio quo venditus fuit olim Iosephus præsignificatum esse hoc precium Christi; sed etiam à prophetis cum admiratione prædictũ, quod precio triginta argenteorum (quorum quilibet æstimatur dimidio dalero) hoc est, 15. daleris Messias tot sæculis expectatus & venderetur & emeretur. Tu verò anne vilius

a *Serm. 51. & in Lucam.*
b *In Mat. 27.*
Mat. 15.
Hieron. in Mat. 27.
Zach. 11.
Aug. l. 3. de cõsensu Euang.
Haeresi 38.
Genes. 37.

vilius Christum & vitã æternam vendis, quando exigua fædaque libidine, paucis nummis, inani honoris cupiditate Christi gratiã abiicis? Redi ad cor, æstimatoq. immenso precio sanguinis Christi, quidvis potius quàm illum tibi eripi patiaris.

MEDITATIO XIX.

De prima accusatione Domini coram Pilato.

Adducũt ergo Iesum à Caipha in prætorium. erat autem mane; & ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed manducarent Pascha. *Ioan. 18.*

CONSIDERA 1. quòd summo mane ad necem Domini procurandam festinarint, ne si fortè differretur, fauore populi impediretur. Ingenium est enim diaboli, præcipitem agere ad malum, ne cunctando sententiam mutet. Tu contrà sis velox ad bonũ; quia nescit tarda molimina spiritus sancti gratia; & tardus ad malum, quia pedes sunt impiorum, qui ad malum currunt. Caue igitur ne tibi bene agendi elabatur occasio, & in tẽtatione expectans resiste, *Ambr. in Luc. 1.* *Prou. 1.*

resiste, vt fugato diabolo Christus succurrat. Considera 2. Christum Dominum tuum, amatorem puritatis, tanquam immundum, multisque criminibus pollutum, dimitti in domum Gentilis (quā Iudæi sua religione vitabant, ne qua ex hac domo contracta macula vetarentur manducare pascha) censerique indignum, qui vel populo Dei annumeraretur, vel Iudæorum manibus occideretur. Tu si vilis habearis & peccator, hāc Domini tui patientiam imitare, eaque sit cura potissima, vt meliorem te Deus æstimet, quàm homines. Considera 3. Iudæis id euenisse quod verebantur: nam & typicum pascha non manducauerunt, quod Christus pascha verum sua morte sustulerat; & illud quod manducauerunt, non nisi pollutis animis, Deoque exosis celebrauerunt. Tu vt verum Pascha Domini in Eucharistia sumas, nō tam de externo cultu, atq. munditia, quàm de animi puritate esto sollicitus. Rogaque Deum, vt mundo sis corde, quo possis frequenter sacrum Pascha dignè manducare.

Exiuit ergo foras Pilatus ad eos, & dixit: Quam accusationē adfertis ad- *Ioan.* 18.

uer-

uersus hominē hunc? Responderunt ei: Si nō esset hîc malefactor, nō tibi tradidissemus eū. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secūdùm legem vestrā iudicate eum. Dixerūt ei Iudæi: Nobis non licet interficere quēquam: vt sermo Iesu impleretur, significās qua morte esset moriturus.

CONSIDERA 1. Pilati humanitatē, qui cùm interpretari potuisset, hunc sui contemptū, ad quem, vt ad immundū, ingredi recusabant, cessit tamē religioni; melior te, multisq. Christianis, qui contempti, contemptum redditis, & à punctis mométisq. honorum, nullis precibus quicquā dimittitis. Considera 2. arrogās responsum Iudæorum, quo externa sua religione, ad innocentis necem abutuntur. Nos, aiunt, qui sumus sacerdotes, & religioni ducimus vel minimam legis præceptionē violare, nunquam tibi hunc hominem offerremus, nisi multis nominibus morte dignissimum. Tanta erat innocētia Domini, vt non nisi coacti ad accusationem venerint. Considera 3. Pilati responsum, prudentius responso Sacerdotum. Subinde enim sæculares nonnulli vincunt probitate sacerdotes.

tes. Videtur Gentilis non parum offenſus, quòd inauditus & non conuictus ad necẽ poſtularetur; quaſi diceret, ſi hoc lex veſtra permittit, non tamen Romanorum. Iudæi verò huius iuſti ſcandali rationẽ non habuerunt; quos tu imitaris, quoties vel puſillis, vel hæreticis præbes obloquij & ſcãdali cauſam. Memento verbi Dominici: Melius eſt, vt ſuſpendatur mola aſinaria è collo eius, & demergatur in profundum maris, quàm vt ſcandalizetur vnus de puſillis iſtis. Conſidera 4. alterum Iudæorum reſponſum, quo dicunt, ſibi non licere interficere quemquã; nempe ſupplicio crucis; quia & Stephanum lapidarũt, & adulteram lapidare pararunt. Non enim lapidibus erat occidẽdus Dominus, ſed cruce; & non à Iudæis, ſed à Gentibus. Hoc eſt quod additur, Vt ſermo Ieſu impleretur; qui vtrunque prædixerat. Ages itaq. gratias Domino tuo, quòd à Iudæis ad Gẽtes trãſierit; eumq. rogabis, vt qui Gentiũ manibus crucẽ ſubire, mortemq. oppetere voluit, pro te ſuſcipiat hoc incruentũ ſacrificiũ, quod in paſſionis huius memoriam, ad conſummationẽ vſq. ſæculorũ in Eccleſia gentium offertur.

Mat. 18.

Act. 7.
Ioan. 8.

Cœpe-

Luc. 23. Cœperũt autem illum accuſare dicentes: Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram; & prohibentẽ tributa dare Cæſari; & dicentẽ, ſe Chriſtum regem eſſe.

[Cœperunt] ait, tanquam multarum accuſationũ, quæ ſequerentur, initium. [Inuenimus,] non ab aliis didicimus; ſed ipſi vidimus. Conſidera 1. tres accuſationes, quæ tamen ex vna pendebant. Affirmat (inquiunt) ſe eſſe Meſſiam, maioribus noſtris promiſſum, & Regẽ Iudæorum; ideò populum ad ſe cogit; Cæſarique Romano iubet nec parere, nec tributum pendere; apertè mentientes, qui ſcirẽt Dominum, Ioan. 6. & regnum fugiſſe, & obediẽtiam docuiſ- Mat. 17. Mat. 22. ſe, & tributum ſoluiſſe, ſoluendumq́; reſpondiſſe. Diſcis quantum excæcet inuidia, vt, qua ſe homo afficiat ignominia, nõ videat. His enim verbis ſe mẽdaces oſtendebant Pilato, qui ignorare non poterat reſponſum à Chriſto datum coram Hero- Mat. 22. dianis: Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari. Tu vitabis omnes animi perturbationes, quę & aſpectum veri impediunt, & hominis authoritati multum detrahũt. Conſidera 2. quid accuſetur in Chriſto: 1. quòd

popu-

populum ſubuerterit. Eius officium eſt populum inuertere; ſurſum deorſum mouere; carnem quæ ſpiritui dominabatur, ſpiritui ſubiicere; pauperes & humiles piſcatores regibus præficere; & poſt hanc vitam, diuites inflatos in infernum deturbare; pauperem Lazarum in ſinum Abrahæ euehere. 2. quòd prohibuerit tributum dare Cæſari. Prohibet vtique Dominus dare tributum diabolo, qui Princeps huius mundi dicitur, & ab hominibus non leue exigit actionum tributũ; quos nihil vult aggredi, vel perficere, cui nõ ſit admixtum peccatum. Chriſtus contrà iubet, vt Deo hoc tributum pendatur, nihilque à te perficiatur, quod non in Dei gloriam referas. 3. quòd ſit Rex atque Meſſias. Verè Rex eſt Dominus tuus, & Meſſias, qui & ſpiritu ſuo ſancto, regit ſibi commiſſos, & corpore paſcit. Tu Regi huic te committe regendum, eius hoſtes expugna, eumque ducem in omnibus ſequere.

MEDITATIO XX.

De examinatione Pilati.

Ioan.18. Introiuit ergo iterum Pilatus in Prætorium, & vocauit Iesum. Iesus autem stetit ante Præsidem. Et interrogauit *Mat.27.* eum Pilatus: Tu es Rex Iudæorum? Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Respōdit Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi: quid fecisti?

CONSIDERA 1. Pilatum non coram turba, sed priuatim in domo cum Christo *Hom.83. in Ioan.* egisse, de quo (ait B. Chrysostomus) magnam conceperat opinionem. Tu similiter, si cum Christo vis agere, fuge turbas, & tumultum negociorum; ingredere in conclaue cordis tui, vt clarius audias Dominum loquentem. Considera 2. Dominum vniuersæ creaturæ, ceu reum astare Presidi Gentili, cui vitæ suæ rationē reddat. Tu sic viue, vt non erubescas de actionibus tuis cuiquam respondere. Considera 3. interrogationem Pilati: [Tu es Rex Iudæo-

Iudæorum?] hoc eſt, Fierine poteſt, vt tu pauper & miſer, totque modis afflictus, te Regem dicas Iudæorum? Tu pro Domino tuo reſponde, Prorſus eſt Rex Iudæorum, quem veri Iudæi recipiunt, hoc eſt, qui peccata ſuā agnoſcunt, & confitētur. Hi enim huic Regi parere volunt, vt de peccato educti, & de manu inimicorum liberati, ſeruiant illi. *Luc.1.* Tu admirare hunc Regem, cuius vtique ſit ornatus, non auro ſplendeſcere, & irradiare gemmis, oſtroq. nitere; ſed in ſputis, opprobriis; externaq. ignominia onerari. Iſta enim, & Chriſtum toto orbe celebrem reddiderunt, & pulchritudinem animæ tuæ attulerūt. Conſidera 4. reſponſum Domini, cuius ſenſus eſt: An aliquid vnquam in me vidiſti, vel de me audiſti, vnde in ſuſpicionem affectati regni venire poſſem? Interrogatio eſt, ſignificans abſurditatem accuſationis. Tu hic tecum cogita, an ex te agnoſcas Dominum tuum Chriſtum, hoc eſt, an in animo tuo experiaris Chriſtum regnātem, an verò ſine interna ſuauitate ſis Chriſtianus. Conſidera 5. reſponſum Pilati ſuperbè indignantis, & ferentis grauiter, reum auſum fuiſſe interrogare. Excuſat ſe igno-

rantia rerum Iudaicarum. Me latet (inquit) quid de Messia venturo vestri fabulentur. Tu in his quæ Dei sunt ignorantiam prætendere nequis, cui Christus manifesta fecit etiam arcana Dei. Etquidem, si Pilato nihil profuit ignoratio; cui tandem proderit Christianorum, quibus tantam rerum cognitionem Deus impertiuit? Considera 6. [Quid fecisti?] innocentiam Domini tantam, vt deficientibus accusationibus, ipsemet reus interrogandus esset. Tu responde quid fecerit: Cælū, terram, & vniuersam creaturam, omne bonum, nullum peccatum. Sed propter bona, in tui gratiam facta, quibus tu ad peccatum abuteris, ipse pœnas luere debet, quas tu merebaris. Locus est meditandi quid Christus fecerit tibi, & quid tu viciſsim illi: vt eius bonitatem admiratus, gratias agas; & ingratitudinem tuam detestatus, rubore suffundaris.

Ioan. 18. Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo: Si de hoc mundo esset regnum meū, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit ei Pilatus: Ergo Rex

Rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis, quia Rex sum ego.

CONSIDERA I. vt Christus Pilato sincerè agenti, clarè responderit; Iudæis autem insidiantibus, nisi adiuratus, respõdere noluerit; quia fictum detestatur Dominus, & cum simplicibus sermocinatio eius. Prou. 3. Considera 2. quòd ethnico sese accommodauerit, ducto argumento à consuetudine & vsu hominum. Vel ex eo (inquit) potes intelligere, me huius mundi regnum non ambire, quòd milites & satellites, in mei defensionem nullos habeã. Cum Iudæis porrò, scientibus legem, scripturis vtitur. Discis quòd omnes occasiones quærat Dominus, & rationes, te, aliosque conuertendi. Tu, si media illa, quibus ad te iuuandum curandumque vsus fuerit expendas, Dei in te sapientem charitatem miraberis. Cõsidera 3. [Regnum meum non est de hoc mundo.] Non dicit, in hoc mundo, quia in hoc mundo, in Ecclesia, & in te regnat: Sed de hoc, inquit, mũdo, hoc est, non est simile regnis mundi huius; neque consistit in multitudine ministrorum atque satellitum, in magnitudine pomparum, in vestium luxu atq. splen-

dore; ſed in ornatu animæ, in obedientia voluntaria, in multitudine virtutum. Et ad hoc quidem Chriſti regnum plures fortaſſe pauperes, mendici, imbecilles, indocti, quàm diuites, nobiles, potentes, ſapientes pertinent. Cura igitur, vt tibi, tuiſque affectibus imperet, & in te regnet Chriſtus. Nam ſi Chriſto ſeruire, regnare eſt: regnans in te Chriſtus, potentem te Regem, tibiipſi imperantem, & toto mundo ſuperiorem conſtituet.

Ioan. 18. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati: Et omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas?

CONSIDERA 1. cuius rei cauſa Chriſtus in mundum venerit, nempe 1. vt mundum falſitate idololatriæ, variorumque errorum & peccati liberaret. 2. vt vanitatem & inanitatem doceret earum rerum quas mundus admiratur, & res ipſas non aliena ſpecie, ſed quales in ſe ſunt, ob oculos poneret. 3. vt per hanc veritatem, hominum animis dominaretur. Diſcis 1. quid potiſſimùm in regno Chriſti quærere debeas; nempe ab omni vanitate, falſita-

ſitateque, & peccato liberari. 2. miniſtros & propagatores regni Chriſti, eos eſſe præcipuos, qui in docenda veritate laborant. 3. Chriſtianis principibus ac ſuperioribus hoc munus ante omnia incumbere, vt ſibi commiſſis fidem in Chriſtum conſeruent & augeant. Non enim ſolùm ſunt ſuperiores adinſtar Gentilium, vt pro politica, externaque quiete laborent; ſed ſunt ſuperiores Chriſtiani, & Chriſtianorum, vt Chriſti regnum dilatēt. Conſidera 2. [Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum.] Sublimis ſententia, quam, ſi in candore perſtitiſſet Pilatus, intelligere poterat. Non (ait) natus ſum communi hominum more: antequam enim naſcerer ex matre, iam exiſtebam; natus ſum, non neceſſitate naturæ, ſed voluntate mea, certiſque de cauſis, quæ me ad naturam humanam ſuſcipiendā permouerūt, nempe vt homines docerem veritatem. Tu igitur, ſi diuinæ doctrinæ locum dederis, candidoque animo cum Deo egeris, reuelabit tibi Chriſtus ſecreta cæleſtia. Conſidera 3. [natus ſum] & [veni,] quia & natiuitate ſua Chriſtus eſt noſter, & actiones ſuas omnes in noſtram contulit vtilitatē;

vt tu viciſſim ætates tuas, ſtudiaque, & officia tua, in eius gloriam referas. Conſidera 4. quòd occultè reſpondeat Dominus propoſitæ à Pilato quæſtioni: Quid feciſti? Quia veritatem docui, vitia coargui. Hæc enim vnica cauſa Iudæos ad eius mortem impellebat. Tu cõtrà, ſtude veritati, oraque Dominum, vt oculos tuos illuminet, ne vnquam obdormias in morte: & ſeriò tecum cogita, an ſis ex veritate, hoc eſt, an veritate mouearis, an ex ſuperbia, libidine, auaritia, aliiſque animi affe-
Ioan. 8. ctionibus. Qui enim ex veritate eſt, ille idem ex Deo eſt; qui verò mendacia ſectatur, ex patre diabolo eſt, cuius deſideria perficit.

MEDI-

MEDITATIO XXI.

De secunda accusatione coram Pilato.

Pilatus iterum exiuit ad Iudæos, dicẽs: Ego nullam inuenio in homine causam. At summi Sacerdotes accusabant eum in multis. Iesus autem nihil respondit. Tunc Pilatus interrogauit eum, dicens illi: Non audis quanta aduersus te dicant testimonia? Non respondes quicquam? Vide in quantis te accusent. Iesus autem amplius non respondit ei, ad vllum verbum; ita vt miraretur Præses vehementer. *Ioan. 18. Luc. 23. Mat. 27. Mar. 15.*

CONSIDERA I. Pilatum, non expectato responso ad quæstionẽ, [Quid est veritas?] egressum esse; quòd eam fortasse quæstionem, vel ad ipsum non pertinere, vel tempori minus esse oportunam, arbitraretur. Cui quidem te similem esse noris, quoties aut leuitate quadam res sacras attingis, aut quæ de vita æterna, de perfectione, de vita Christiana dicuntur, ad te

pertinere non arbitraris; aut quoties denique leuiter deſeris, quod coram Deo tuo rectè propoſuiſti. Exiſtima nullum eſſe tempus diuinis documẽtis importunum. Conſidera 2. Pilatum nullam inueniſſe in Chriſto mortis cauſam; Iudæos quidem falſam: ſed Deum Patrem verã agnouiſſe, quæ fuit expiatio peccatorum tuorum, ad ſalutem animæ tuæ. Hanc cauſam tu ſeriò tecum expende. Idcirco enim Chriſtum, neque vti par eſt diligis; neque dignas ſatis gratias agis, neque tanta, tamq́ue acerba eius paſſione moueris, quòd ſeriò non agnoſcas, neque recogites tantis te pœnis cauſam præbuiſſe. Conſidera 3. multa, grauiaq́ue, quæ Domino tuo obiiceban-tur crimina, vniuerſo inſpectante populo & audiente, atque ad tam noua & inaudita, non parum mirante. Tu in gratiam Domini tui patienter ſuſtine calumnias, iniuriam, infamiam. Conſidera 4. altum Domini ſilentium, quo Pilatus quidem Gentilis, Chriſti admirabatur ſapientiam, Iudæi verò ad plures grauioreſq́ue accuſationes audaciores reddebantur. Tu admirare Dei patientiam, qui tam variis, tamq́ue enormibus tuis, aliorumq́ue pec-

catis hactenus offensus, non silet modò, conniuet atque indulget, sed multis etiam te cumulat bonis; vt hac eius liberali mansuetudine motus, tandem resipiscas.

At illi inualescebant, dicentes: Commouit populum, docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc. *Luc.23.*

CONSIDERA 1. clamores Iudæorum, qui cùm veritate nihil se effecturos sperarent, turbas, tumultus, & clamores excitarunt, more eorum qui malâ causam tuentur: qua in re diabolum imitabantur, qui, cùm nihil suggestionibus potest, concitat amicos, parentes, sodales; commouet internam concupiscentiam; obfuscat & obnubilat intellectum. Tu nihil perturbatè agas, imitatus Dominum, qui nullis iniuriis irritatus fuit, aut motus, nisi vt te impensius amaret. Considera 2. vt Christus pro seditiosorum duce hic habitus fuerit: Nouisti, inquiunt, Pilate Galilæos, homines vtique factiosos, quorum sanguinem nuper miscuisti cum sacrificiis eorum. *Luc.13.* Ecce hic est caput & incentor malorum, natus ad populi commotionem. Et verè

Domi-

Domine,tu populum commoues, non ad ſeditionem, perduellionem, rapinas, homicidia:quod hæreticorum proprium eſt, qui tales motus ſuis concionibus excitant: ſed ad vitæ, morumq́ue mutationem, vt abdicatis voluptatibus atq. peccatis, omnes ſe dedant virtutum ſtudiis. Tu monaſteria imples religioſis; deſerta anachoretis, carceres confeſſoribus, carnificinas martyribus. Te mouente, virgines ornatũ abiiciunt, diuites paupertatem eligunt, nobiles aliorum voluntati ſe ſubiiciunt, adoleſcentes religionis votis ſe tibi in holocauſtum offerunt. Tu porrò roga, vt etiam te moueat Dominus. Conſidera 3. quos docere dicatur; Galilæos nempe, hoc eſt, tranſmigrantes; & Iudæos, hoc eſt, confitentes, Deumq́ue laudantes. At verò à Galilæa orditur, quia doctrinæ Chriſtianę initium quidẽ eſt, peccata deponere: medium verò, defectus quotidianos, cum animi dolore, & emendationis propoſito confiteri, Deumq́ue vera obedientia laudare: finis denique, in Hieruſalem viſione pacis, Dei vultum contemplari. Ora Dominum, vt ad huius ſapientiæ perfectionem te perducat.

Pilatus

Pilatus autem audiens Galilæam ; interrogauit, ſi homo, Galilęus eſſet: & vt cognouit, quòd de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Hieroſolymis erat illis diebus. Luc. 23.

GALILÆVS, ſeparandum eſt, ab, homo; hoc ſenſu: an homo iſte Galilæus eſſet. Conſidera 1. Pilato vel ignotum fuiſſe adhuc nomen Ieſu, vel indignum viſum, quòd à ſe efferretur. Mali ignorant Ieſum patientem, conſputum, vinctum; dignitates mundi norunt, non ignominiam crucis. Ignorabuntur igitur etiam ipſi à Ieſu, hoc eſt, à Saluatore; & fructum ſalutis non percipient, qui paſſionem, quæ fuit inſtrumentum ſalutis, reiecerunt. Conſidera 2. Herodem Iudæum, ad feſtum hoc paſchatis Hieroſolymam veniſſe; quia peccatores fidelium feſta externis tantùm ceremoniis celebrare conſueuerunt, veſtitus ornatu, lautioribus epulis, &c. ſed internum feſtorum fructum non percipiunt, deque interiori illo animæ cultu, ad quem ab externis ceremoniis abduci debemus, minus laborant. Conſidera 3. Deum tuum dici de poteſtate

testate Herodis, hominis, improbi, adulteri, incestuosi, homicidæ; vt tu superioribus tuis, licet minus fortasse probis, libenter pareas, non in hominis vitia, sed in obedientiæ virtutem respiciens. Considera 4. Christi quatuor Iudices, duos Sacerdotes, Annam & Caipham; duos item sæculares, Iudæum alterum Herodem, alterum Gentilem Pilatum; quia ab omni hominum ordine Christus morti adiudicatus est; pro omnium hominum peccatis occisus est; ad omnium hominum procurandam salutem, passus & mortuus est. Tu igitur ipsi, nihil diffisus, impone peccata tua, vt illis leuatus, æternam ab eo præparatam salutem accipias.

MEDITATIO XXII.

De geſtis in domo Herodis.

Herodes viſo Ieſu, gauiſus eſt valde. Luc.23.
Erat enim cupiens à multo tempore videre eum, eo quòd audierat multa de eo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eũ multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpondebat.

CONSIDERA 1. Herodem hunc nunquam ad Chriſtum acceſſiſſe, nunquam verba audiuiſſe, nũquam miracula vidiſſe: multa tamen aliorum ſermonibus, de eo cognouiſſe. Vnde gaudet, ſemel occaſionem oblatam eum coràm intuendi: ſed mouebatur, non ſalutis ſpe ac deſiderio, verùm ſigni alicuius videndi cupiditate. Diſcis primò, qualis ab hoc Rege habeatur Dominus, incantator, ioculator, ſtultus. Secundò, ſecularium hominum mores eſſe, vt noua videant libentius, quæ oblectent, quàm ſalutaria audiant, quæ moueant. Conſidera 2. Chriſtum neque admirari externam purpuram, Regiamq́ue dignitatem, qui cordis ſplendorem, & fœ-

ditatem intuetur; neque dignatum fuisse hominem alloquio; quandoquidem nihil inde vtilitatis expectabat. Disce 1. externa hæc non magni facere; quia in futuro Iudicis examine, pluris erit pannosus humilis, quàm purpuratus superbus. 2. verba tua inutiliter non effutire, sed ad aliquam vtilitatem sermones tuos conferre; memor, quod de omni verbo otioso rationẽ redditurus sis in die Iudicij. 3. nemini adulari; ostentationem fugere; sacra nostra nulli ridenda proponere; diuinis literis & ceremoniis, ad facetias, aut res prophanas non abuti. Considera 3. cuiusmodi quæstiones fuerint Christo ab Herode propositæ; nimirum inutiles & curiosæ: fortè an ipse esset Ioannes Baptista; possétne demoliri & restituere templum; eiúsne causa parens olim infantes occiderit? Tu à Domino vtilia pete; rogáque eum, vt quæstionibus tuis, ad animæ salutem, & consolationem respondeat.

Mat. 12.

Luc. 23. Stabant autem Principes Sacerdotum, & Scribę, constãter accusantes eum. Spreuit autem Herodes illum, cum exercitu suo, & illusit, indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.

CON-

CONSIDERA 1. Christum in huius Regis palatio, quatuor passum esse; nam 1. à Sacerdotibus est grauiter constanterq́. accusatus. 2. ab Herode spretus & irrisus. 3. à militibus militari petulantia tractatus, nihilo equidem mitius, quàm in domo Caiphæ à ministris. 4. veste alba, seu λαμπρὰ, hoc est, splendida indutus, in signum vel affectati regni, vel stultitiæ, qui coram rege, in suæ causæ defensionem nihil diceret. Considera 2. ex Christi silentio Herodem offensum, minus quidem quàm Pontifices, qui mortis reum pronunciabant; magis verò quàm Pilatus, qui ex silentio prudentem Domini grauitatem admirabatur. Discis iisdem rebus alios aliis grauiùs labi, eosq́ue grauissimè, qui sunt in eminentiori gradu. Pilatus laicus gentilis erat; Herodes laicus, sed Iudæus; Caiphas, summus Iudæorum Sacerdos. Considera 3. Christum quidem esse Regem, verùm talem, quem mundus non agnoscat, sed accuset, rideat, & spernat. His porrò irrisionibus promeritus est Dominus, sibi quidem, vt super omnes Reges exaltaretur; nobis verò, vt vera sapientia donaremur: reges immor-

tales in cælorum regno efficeremur; & vestibus albis immortalitatis indueremur. Gaude igitur, si cum Christo irrisionem
Mat. 5. & persecutionem patiaris propter iustitiā, quia tuum est regnum cælorum; & caue ne per te Christus rideatur, si pauperes, eiusque ministros contemptui habeas, & eius Sacramenta, verba, pręcepta negligas. Demùm tu sponsum animæ hac ludicra veste indutum, hoc itinere ad Pilati ædes comitare; quas sannas audierit, attende; quibus oculis aspexerit, quem vultum exhibuerit vide; eúmque ex animo roga, vt stultus sis mundo, dummodo Christo sapiens habearis.

Luc. 23. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die; nam antea inimici erant ad inuicem.

CONSIDERA I. duplex mysterium: vnum, quòd impij aduersus Christum, Christíque sectatores conueniant; hæretici impugnantes Ecclesiam; dæmones infestantes hominem iustum. Alterū, quòd Christi mors pacem conciliauerit inter Iudæos & Gentes; adeoque primum præcipuumque Dominicæ passionis officium fuisse, pacem adferre, pacemque precari.

Itaque

Itaque ſtatim à reſurrectione ſua, dixit diſcipulis primo & ſecundo cõgreſſu; Pax vobis. voluit nos pacem habere cum Deo, cui precium peccatorum ſoluit; cum conſcientia, quam à peccato liberauit, & interna gratia refecit; cum proximis, quos diuina charitate cordibus noſtris infuſa, iubet diligi. Quoties igitur inteſtinũ bellum in membris tuis ſentis; quoties te vides pacem cum Deo amiſiſſe; quoties proximum tibi indignantem aduertis, aut in te odium proximi experiris, te protinus ad Christi crucem conuerte; vt qui eſt verus & vnicus mediator tuus, tibi pacem cum omnibus reſtituat. Conſidera 2. [in ipſa die,] hoc eſt, eodẽ illo die; vt diſcas, quam facile ſit Domino componere pacem, animoſque ſedare, etiam maximè turbatos, rebuſque afflictiſſimis ſubuenire, tametſi tibi humana media non ſuccurrant. Ora igitur Dominum, vt Reipub. Chriſtianæ adferat tranquillitatem, bellorum motus ſedet, pacemque det Eccleſię conſtantem. *Ioan. 21.*

MEDITATIO XXIII.

De postulatione Barrabæ.

Luc.23. Pilatus autem, conuocatis Principibus Sacerdotũ & Magistratibus, & plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentẽ populum; & ecce, ego coram vobis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis: sed neque Herodes. Nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo eum dimittam.

Mat.27. Per diem autem solennem consueuerat & necesse habebat Præses dimittere vnũ

Mar.15. ex vinctis, quemcunque petiissent.

Luc.23. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barrabas; qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Dixit ergo Pilatus: Est cõsuetudo vobis, vt dimittam vnum in paschate: vultis dimittam vobis Regem Iudæorum? quem

quem vultis dimittam vobis, Barra- *Ioan. 18.*
bam, an Ieſum qui dicitur Chriſtus?
ſciebat enim, quòd per inuidiam tra- *Mat. 27.*
didiſſent eum ſummi ſacerdotes.

CONSIDERA 1. Herodem, tametſi in Chriſto nihil viderit morte dignum, non tamen liberaſſe innocentem de manibus Iudæorum; ſed ad gratificandum Pontificibus & Præſidi, cognitionem cauſæ eius detuliſſe Pilato. Ita fit, vt omnes ſtudeant hominibus placere, nullus Chriſto. Conſidera 2. à tot Iudicibus inquiſitum de vita Domini tui, nihilque inuentũ, quod mortem aut vincula mereretur. Tu ad Chriſti imitationem ſic vitam inſtitue, vt in mortis hora, nihil in te dæmones, quod ſuum ſit inueniant. Sic igitur quotidiana conſcientiæ diſcuſſione, crebraque peccatorum confeſſione animum purgato, vt nihil niſi ſanctum, ex vita tecum emigret. Conſidera 3. [Emendatum,] ſeu caſtigatum [illum dimittam.] Cogitat Pilatus dimittere quidem Dominum, ſed caſtigatum; non quòd hoc mereretur Dominus, ſed in populi furentis gratiam, vt eius verberibus ſedaretur. Diſcis 1. populum ſe-

dari non posse, nisi sanguine Christi; tum quia mali solis ferè peccatis delectantur, quæ Domino tuo sanguinem expresserũt; tum quia iustis nulla est suauitas, nisi ex effuso sanguine Domini sui, neque vlla gloriatio, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Considera 4. Pilatum quidem meditari opus bonum, dum Christum statuit liberum dimittere; non tamẽ purum, sed magno malo admixtum, nempe flagellis & verberibus Christi; eumque tu imitaris, quoties bona quædam aggrederis, sed mixta peccatis; eleemosynam das ex pecuniis iniustè partis; templum adis, vt videare religiosus: aut aliud quid facis intentione minus recta. Considera 5. cùm de hoc liberandi Domini modo Pilatus cogitaret, aliam illi occurrisse mitiorem rationem. Videbat enim populum conuenire, vt pro recepta consuetudine, aliquis eis vinctus donaretur, quem illi ex pluribus à Præside propositis nominarent, de quocunque tandem crimine accerseretur, idque in gratiam liberati, circa hoc tempus paschatis, de seruitute Aegyptiaca, populi Israëlitici. Huius consuetudinis cùm ipsi in mentem venisset, deliberauit solũ Christum,

Galat. 6.

ſtum, quem multis gratum, ob præclara opera, & ſolis ſacerdotibus, & Pharizæis exoſum, non ignorabat, cum homicida quodam, & duce ſeditioſorum, homine inuiſo proponere, nihil dubitans, quin Chriſtus ſceleratiſſimo anteferretur. Diſce 1. authorem vitę totius, cum turbulento homicida cõponi. & tu indignaris, ſi quid de honore, vel titulis tuis detrahatur? Diſce 2. piam conſuetudinem liberandi vincti, in gratiam accepti beneficij liberationis ex ſeruitute Aegypti. Tu toties ereptus de laqueis dæmonis, & à vinculis peccatorum liberatus, in huius beneficij memoriam, etiam proximis tuis ſuccurre, vt ope tua & opera, à debitorum peccatorum, miſeriarum, aliorumq́ue malorum, quibus conſtringuntur, vinculis ſoluãtur.

Sedente autem eo pro tribunali, miſit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi & iuſto illi. Multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum. *Mat. 27.*

CONSIDERA 1. populo ad deliberandum quem electuri eſſent dimiſſo, Pilatum pro tribunali ſediſſe, & hoc nuncium ab vxore accepiſſe, ſiue à bono angelo ad-

 monita,

monita, vt ſentiunt [a] Hilarius, [b] Chryſoſtomus, [c] Ambroſius, [d] Hieronymus, [e] Auguſtinus, [f] Origines, ſiue à malo ſpiritu, qui & vires ſuas paulatim frangi, ſibiq́ue iudicium imminere; & ſanctos in limbo Patres ex vicina liberatione exultare perſentiſcens, conaretur impedimentum adferre morti Dominicę, vt volunt [g] Ignatius, [h] Cyprianus, [i] Gregorius, [k] Rabanus, [l] Bernardus. Diſcis innocentiam Chriſti ab ipſis angelis, ſeu bonis, ſeu malis teſtatam: & quidem, ſi dæmonis opera viſio acciderit, diſcis malitiam hominum, quos dæmon ad malum ſemel incitatos, nequeat per ſe à peccato reuocare. Tanta eſt quippe concupiſcentię malitia, & vis peccati, vt ſolius Dei auxilio tollatur. Proinde non admonentur Pontifices iam inuidia commoti, ſed Pilatus, quem concupiſcentię morbus necdum concitauerat. Tu omnem adhibeto conatum, vt concupiſcentiæ tuæ vires conteras. Conſidera 2. epithetō Chriſti, [Iuſto illi,] quia ipſe eſt iuſtitia noſtra, in ſe perfectè iuſtus ſine peccato; & opera edens vndecunque iuſtiſſima; quibus & iræ paternæ pro nobis ſatisfecit; & nobis exemplum imitandum reliquit. Conſi-
dera

a Canone 33. in Mat.
b Ho. 87. in Mat.
c Lib. 1. in Lucã.
d in Mat.
e ſer. 121 de tẽpore.
f Tract. 35. in Matth.
g Epiſtola ad Philip.
h Ser. de paſſ. Domini.
i Lib. 33. Moral. cap. 21.
k Citatur in Cathena D. Thomæ.
l ſerm. 1. de paſcha.

dera 3. [Nihil tibi & iusto illi.]. i. ne te misceas negotiis eius; nihil tibi sit cum iusto illo commune. Disce hunc iustum ad malos non pertinere, solosque bonos participes esse iustitiæ eius. Tu roga hunc iustum, vt in commercium, & societatem secum te admittere dignetur, vt merces tuę, ex eius mercibus, hoc est, bona opera tua, ex eius meritis, lucri plurimum ad animæ tuæ salutem referre possint.

Principes autem Sacerdotum, & Seniores, concitauerunt turbam, & persuaserunt populis, vt peterent Barrabam, Iesum autem perderent: Et cùm ascendisset turba, cœpit rogare (Pilatum vt faceret) sicut semper faciebat eis. Respondēs autem Præses, ait eis: Quem vultis de duobus dimitti? Exclamauerunt omnes simul: Non hunc, sed Barrabam. Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam. Pilatus autem iterum respondens, ait illis: Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? At illi iterum clamabant: Crucifigatur, Crucifige eum, Crucifige eum. Pilatus verò dixit ad illos tertiò: Quid enim mali

Mat. 27. *Mar. 15.* *Luc. 23.* *Ioan. 18.*

fecit iste? Nullam causam mortis inuenio in eo. Corripiam ergo illum, & dimittam. At illi instabant vocibus magnis, postulantes vt crucifigeretur. Et inualescebant voces eorũ, & magis clamabãt, Crucifigatur.

CONSIDERA 1. vt populus in Christum propensior inductus sit à Sacerdotibus postulare Barabbam, perdere Christum, vt discas 1. plus nocere vnam orationem hominum impiorum, quàm prosint multę exhortationes sanctorũ. Quod enim triennio Christus multis laboribus construxerat, hic vno momento inuertitur. Caue igitur malorum colloquia, præ-
2.Tim. 2 sertim hæreticorum, quorum sermo serpit vt cancer. Discis 2. authoritatem superiorum multum posse, siue in bonum, siue in malum. Tu ergo, si commissas tibi habeas oues Christi; authoritate tua ad Domini tui gloriam vtere. Considera 2. ingratitudinem populi, qui tantum benefactorem & latroni postponit & postulat ad crucem. Discis 1. mundi applausum contemnere, qui tam atroci fine clauditur. Paulò antè acclamarant, Benedictus qui

venit in nomine Domini: nunc aliis vocibus, [Non hunc,] sed [crucifigatur.] 2. cæcum mundi iudiciũ, qui spretis summis bonis, pessima eligit, benefactorẽ odit, hostem amici loco habet. Caue tu, ne ob modicum lucri aut humani fauoris, contra tuam ipsius conscientiam Christum prodas, ne tibi idem quod Iudæis, eueniat, quibus pro Messia tot seculis expectato & fœdè reiecto atque damnato, obtigit Barabbas (quod sonat filium patris) homicida, seditiosorum incentor, diabolus, cuius impulsu reguntur; vt qui Christum in Patris nomine venientem, audire recusarunt, audiant antichristum nomine patris sui diaboli loquentem. Considera 3. timidam Pilati vocẽ, [Quid faciam de Iesu?] Populi vocem quærit impius Iudex. Tu in iudiciis & actionibus tuis non in populi voluntatem ac mores, sed in Dei mãdata animũ intende. Considera 4. [Quid enim mali fecit?] toties repeti innocentiã Christi; vt semper recorderis, nõ sua eum, sed tua peccata luisse. Hæc vox peccatores omnes in iudicio futuro damnabit. Cur (inquiet Dominus) deserto me, ad diabolum transfugisti? Quid enim mali feci?

quid

quid in moribus, & doctrina mea non cā-didum, aut rationi non consentaneum deprehendisti? quid mali à me accepisti? & quid boni in castris dæmonis inuenisti? Tu hæc nunc meditare, atque in fide Christi perseuera. Considera demùm, hi clamores vt animum Christi perculerint, magisque ob tantum, tamque immane dilecti populi sui peccatum, quàm ob crucis tormentum commouerint. Tu eum deuota oratione solare, abrenūciatoque diabolo, pompisque eius, te totum Christo in seruum mancipiumque trade.

MEDITATIO XXIIII.

De flagellatione Domini.

Ioan. 19. Mat. 27. Mar. 15. Tunc ergò apprehendit eum Pilatus, & flagellauit. Tunc milites Præsidis suscipientes Iesum, duxerunt in atriū Prætorij, & congregauerunt ad eum vniuersam cohortem.

CONSIDERA I. hactenus sponsum animæ tuæ, vt te sibi despōsaret, variis modis irrisum fuisse, consputum, vellicatum, verberatum: nunc autem ventum esse ad vulnera & sanguinem; vt qui tibi honores

suos,

ſuos,libertatem,aliaque corporis bona dedit,tuique cauſa,hiſce omnibus ſpoliari ſe paſſus eſt , nunc etiam largiter ſanguinem propinaret , & viſcera effunderet: viſurus nimirum, qua tu viciſſim in eum vteris liberalitate. Conſidera 2. duas cauſas,cur ad hanc Domini flagellationem venerit Pilatus ; vna erat , vt Iudæorum rabies , viſo Chriſti corpore tot verberibus dilaniato, miteſceret aliquantum , & à poſtulatione crucis quieſceret : altera,vt ſi nihilominus in furore perſiſterent, hæc flagellatio ad crucifixionem præmitteretur. Romanis enim legibus, crucifigendi flagellabantur. Vera autem ratio , qua ex Dei Patris voluntate Chriſtus flagella ſuſcepit, hæc fuit 1. vt totius corporis vulneribus te totum ſanaret,qui totus languebas. 2. vt te totum acciperet,qui ſe totũ tibi dedit. 3. vt viſcera charitatis ei aperires , qui ſua viſcera tibi flagellis detexit. Conſidera 3. Chriſtum à Pilato militibus prætorianis tradi, qui totam cohortem conuocarunt : (ea erat decima pars legionis, nempe 666. milites:) à quibus in atrium prętorij, latiorem aulam deductus , ab amicis omnibus deſertus, tanquam agnus in medio luporum, prædę expo-

expositus fuit. Tu in hāc aulam ingressus, attentè considera militum crudelem petulantiam, & Christi in omnibus malis modestiam, vultum serenum atque amabilem, & incredibilem patientiam. Primò igitur vestibus omnibus spoliant, nudumque in medio constituunt. Cogita castissimi Domini verecundiam, coram tanta hominum turba denudati; & vestes asserua ad tuam nuditatem tegendam exutas. Deinde sacrum illud corpus columnæ alligant, brachiis in altum erectis, vt omnia membra verberibus exponerentur. Tunc singuli, vel ex allatis fasciculis, virgas compingunt; vel ex funibus flagella conne-
Cap. 67. in Mat. ctunt (est enim φλαγέλλιον, quod nos flagellum dicimus, vt notat Euthymius, verber è funiculis aut loris contextum) omnesque sese ad opus accingunt. Ora tu Dominum tuum, vt hæc eius nuditas, animam tuam diuina gratia, & virtutibus tegat; hæc eius vincula à peccatis soluant; hæc eius inter immanes hostes solitudo, de manibus hostium eripiat. Secundò de ipsa flagellatione, Considera 1. quàm illa immanis fuerit. Veteri quidem lege
Deut. 25 Iudæis cauebatur, ne vltra 40 verbera in-
flige-

fligerentur, hac addita mandati causa; Ne tot plagis fœdè laceratus, ante oculos tuos abeat frater tuus. Gentiles porrò milites, qui nec Iudæorum lege tenebantur, neque commiseratione mouebantur, hunc numerum vsque adeò excesserunt, vt sancti quidam ad 5400 verbera accessisse, reuelatione didicerint; quod non videbitur improbabile, si hæc pauca attentè considerentur. Primùm, lex ipsa fustuariæ castigationis, qua decretum fuerat, vt à singulis militibus reus cæderetur, liber quidem fustibus, seruus autem flagellis; qua lege discis Christum Dominum pro vili mancipio, vt te in libertatem assereret, flagellis verberatũ, atq. à 660. militibus, pro cuiusque libidine, hæc verbera passum. Secundum est, causa legis de flagellandis iis, qui crucis supplicio damnati erant, vt dilaniato nimirum crucifixi corpore, nihil esset, quod nuditate ad aliquam turpitudinem spectatores moueret, cùm nihil formosum, aut iucundum, sed fœda omnia, commiserationisque plenissima conspicerentur. Tertium est, Pilati consilium, qui hac tãta in hominem crudelitate, eum se à morte erepturũ sperabat. Voluit ergo

castigationem hanc esse acerbissimam, qua etiam immanissimis atrocissimisque hostibus vindictæ sedaret cupiditatem. Quartum est, Pontificum odium, quibus vt placerent milites, extrema quæq. Christo intulerũt. Quintum, tanta Pontificum in crucis baiulatione & acceleratio & sollicitudo, ne ante crucis supplicium Christus deficeret, quæ satis apertè indicabant, tot eum verberibus confectum esse, vt diu superstes esse non posset. Considera 2. modum hac flagellatione seruatum. Primò enim, pectore columnã tangente, dorsum
Psal. 128 crudeliter dilaniarunt, iuxta illud: Supra dorsum meũ fabricauerũt peccatores (seu, vt Hebræis est) arauerunt aratores. i. sæuissimè dilaniarunt; eaque parte penitus concisa verberibus, dissoluitur Dominus, vt anterior corporis pars, pectus, venter, tibiæ, non minus crudeliter exciperentur, &
Isa. 1. iuxta Prophetam, à planta pedis vsque ad verticem capitis non esset in eo sanitas. Et hoc quidem accidisse, vel ex eo discis, quòd Pilatus Christum paulò post ad populum educens, cùm diceret, Ecce homo, non tergum purpura tectum, sed pectus, & anteriorem partem spectandam exhibuerit.

buerit. Tu hic oculis internis aſpice militum crudelitatem, Chriſtique amabilem patientiam: auribus excipe voces, cachinnos, & ſannas irridentium militum, quas illi flagellantes, torquentes, ligantes, & religantes Chriſti corpus, fœdiſſimè emittebant. Mirare deinde Chriſti in his verberibus altiſſimum ſilentium, qui nec voce, nec gemitu, de dolore quereretur: denique interno tactu percipe dolores verberum, quę ad oſſa ipſa, & viſcera penetrabant; collige ſanguinem humi decidentem; eum adhibe peccatis & vulneribus tuis; oraque Dominum, vt ne fruſtra pro te, tam copiosè effuſus videatur. Tertiò, Poſt impoſita flagella, conſidera 1. vt feſſis tortoribus, defecerint virgæ & flagra, Chriſtuſque exhauſtus pœnis & ſanguine, vix pedibus ſuis conſiſtere potuerit. Tu igitur, ne parcas tibi, ſed in Domini tui obſequium iuuenilem ætatem & vires expende. Conſidera 2. vt Dominus tuus proreptâs, ſparſas hinc inde veſtes ſuas collegerit: eaſque non ſine labore induerit; quæ vulneribus adhæreſcentes, ſanguine tinctæ fuerint, vulneraque afflixerint. Tu veſtem Chriſti, Eccleſiam collige, animaſq. eo tum lotas

ſanguine vt congreges, ne vllis parcas laboribus; Chriſtiq́. corpus vulneribus ſaucium, lachrymis ablue, & oleo charitatis ac deuotionis vnge, nihilq́ue prætermitte quod ad corporis huius, membrorumq́ue eius curam conferre poſſe putabis. Conſidera 3. hac flagellatione & ſequenti coronatione hora tertia tibi ſanguinē ſuum à Domino effusè propinatum, qua eadem hora poſt aſcenſionem in cælos Spiritum ſanctum in corda Apoſtolorum, totiusq́: Eccleſiæ demiſit, vt diſcas 1. ad hoc copiosè Chriſti ſanguinem fuſum, vt tibi copiosè Spiritus ſancti gratia communicaretur. 2. vt eodem tempore, quo in Eccleſia huius ſanguinis effuſio per Miſſę ſacrificium recolitur, tu ibi præſens aperto corde ſanguinis fructum, Spiritus ſancti gratiam, & varia dona largiter exciperes. Tota hæc meditatio & admirationem excitat, & fiduciam erigit, & amorem accendit, & compaſſionem mouet, & dolorem de peccatis adducit, & ad labores ſuſcipiēdos hortatur, & animum in gratiarum actionem effundit.

MEDI-

MEDITATIO XXV.

De coronatione Domini.

Tunc exuentes eum, chlamydem coccineam circundederunt ei: & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius. *Mat. 27. Mar. 15. Ioan. 19.*

Conſidera 1. tortores hos nouum tormenti genus excogitaſſe, quod & affligeret, & ridendum exponeret; vt qui regem ſe dicebat Iudæorum, regio veſtiretur ornatu. Conſidera 2. hoc loco quatuor irriſionum genera. 1. exuunt eum veſtibus ſuis, quas paulò antè induerat, non ſine dolore, vulnera quibus pannus inhæſerat, renouantes, nec ſine confuſione verecundiaq́ue ſacrum virgineum corpus nudantes. 2. chlamydem coccineam circundant, vt purpureus ſanguis toto corpore fuſus, & purpurea veſtis impoſita, regium ornatum indicarēt. 3. pro diademate, coronam ex multis ſpinarum ramis contextam, capiti imprimunt, ſeu imponunt, quæ Domini tempora (ait Tertullianus) & fœdauerunt & lancinauerunt. *Lib. de corona militis.*

4. arundinem pro ſceptro in manus illi tradunt. En Regem tuum, Chriſtiane; en triumphum coronationis eius. Conſidera 3. magnas vtilitates, quas nobis parauit Dominus, his illuſionibus ſignificari. Nam 1. veſtium iſta ſpoliatio, qua Dominicum corpus tot vulneribus deformatum, & ſanguine, ſputo, ſordibuſque obſitum, & aſpectu horridum, denudatum fuit, indicat fœditatem animæ tuæ, maculis peccatorum infectæ; quas ſordes à te, in ſeipſum hac paſſione tranſtulit Chriſtus, vt te omni fœditate purgaret. 2. Chlamyde purpurea ſignificatur, tum natura noſtra ſanguinaria, & cædis rea, quam aſſumens Chriſtus in perſonæ vnitatẽ, ſanctificauit; tum
Iſa. 1. peccata tua rubra ſicut vermiculus, quæ ſuſtulit paſſione ſua Chriſtus; tum Eccleſiæ corporis Chriſti membra, quæ in hoc mundo variis malis afflicta, hac Chriſti veſte conteguntur, ne deficiant, ſed vt meritis augeantur. Nihil enim vſqueadeo Chriſtiani hominis afflictiones ſolatur; nihil ita promouet pietatem, quàm ſedula Dominicæ paſſionis recordatio. 3. Spinoſa corona, ſunt peccata tua ſterilia atq. pungentia, ex maledicta terra corporis tui per concu-

concupiſcentiam orta. 4. arundinem manu tenet Dominus, quo ſignificet & per res mundo viles, vt paſſione, cruce, humilitate, orbis terrarũ ſe regnum obtinuiſſe, & homines fragiles, inanes, nodoſos paſſione ſua, dexteraque ſe ſuſtentare. Tu roga Dominum, vt horum omnium participem te efficiat, mementoque indecens eſſe, vt ſub ſpinato capite requieſcant membra delicata.

Et veniebant ad eum, & genu flexo adorabant; & illudebant ei; & cœperunt ſalutare eum, dicentes: Aue Rex Iudæorum. *Mat. 27. Mar. 15. Ioan. 19.*

CONSIDERA 1. alia quatuor irriſionum genera. 1. [veniebant ad eum,] vt miniſtri ad Regem, per ludibrium rogaturi, num quid curatum vellet; quos tu imitaris, qui nomine Chriſtianus es, re autem vera mancipium diaboli; ore Chriſtum confiteris, factis autẽ negas. 2. [Adorabant genu flexo,] ſeu (vt ait Marcus) ponentes genua, nullus vtrumque, ſed quiſque alterum. Fraudulentus eſt cultus eius, qui vnum genu humi figit, alterum habet erectum, cui corpus innitatur; quod tu imitaris, qui externo corporis geſtu

Deum quidem colis, animo verò in ſuperbiam, libidinem, aliaque vitia quaſi inniteris. 3. [illudebant ei] variis modis, quos petulans nequitia ſuggerebat. Illuditur ei in terra, cuius maieſtatẽ Angeli venerantur in cælo. Attamen quia Deus non irridetur, tu ſumma animi demiſſione & candore coram illo verſare. 4. [ſalutabant, dicentes: Aue Rex Iudæorum.] Optima oratio, qua etiam tu ſalutes Regem Iudæorum, peccata ſua agnoſcentium, Deoque laudes dicentium. Beatum te, ſi hunc Regem habeas, à quo & hic ſuauiter regaris, & poſt hanc vitam eiuſdem regni cõſors efficiaris.

Conſidera 2. quòd Chriſtus has ignominias & oculis videns, & auribus ſuſcipiens, curarit ſerpentis ſibilum, per Euæ aures in poſteros ingreſſum; & oculorum vanitatem, qua noſtros oculos curioſitate infecit. Ora Dominum, vt hæc omnia in animæ tuæ vtilitatem conuertat.

Mat. 27. *Mar.* 15. *Ioan.* 19. Et conſpuebant eum, & acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius arundine, & dabant ei alapas.

CON-

CONSIDERA I. alia rursus quatuor genera illusionum. 1. [conspuunt eum.] non faciem modo, sed pectus, cæterumq. corpus; & illius equidem, qui est splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris, in quem desiderant angeli prospicere, tam indignis & scurrilibus modis defœdant. 2. [accipiunt arundinem,] ficto obsequio, quasi fessum onere sceptri leuãtes. 3. [percutiunt caput arundine,] vt spinæ firmius capiti imprimerentur. Attende, hisce verberationibus spinas ipsas ad ossa cranij penetrasse, & iuncturis ossiũ infixas, etiam confractas esse. 4. [dant ei alapas,] non nuda, sed aduersus spinarum aculeos armata manu. Hic tu admirare, cùm cæteras Domini virtutes, charitatem, patientiam, mansuetudinem, benignitatem, tum vel maximè humilem obedientiam, qua ad nutum paruit tortoribus suis; iussus sedere, caput ad spinas erigere, manu arundinem tenere, faciem ad verbera exponere, aliaq. molestissima pati, sine cunctatione obtemperauit. Considera 2. hos Ethnicos, tametsi iniurias multas irrogauerint Domino, faciem tamen eius nunquam velasse, vt nos ex Gen-

Heb. 1.

1 Pet. 1.

tibus Chriſtianos, Chriſtus deſertis Iudæis, miſericordiæ oculis ſemper benignè aſpiciat. Diſcis 1. nouis opinionibus, veritatem non tegere, neque ad hæreſim declinare; ſed quantuſcunque ſis peccator, fidem tamen ſinceram apertè profiteri. Diſcis 2. conſcientiam peccatorum monentem te ac ſtimulantem non abiicere, quia conuerſionis initium in eo eſt, ſi te redarguat conſcientia. Roga Dominum, ne à te faciem vllo vnquã tempore auertat, teque in orthodoxa fide conſeruet, veriſque virtutibus ornet, præſertim humili cęcaque obedientia, vt maioribus tuis fideliter obtemperes, non in leuibus modò ac iucundis rebus; ſed in grauibus quoque, duris & aſperis.

prophetia Factus sum in derisum tota die, omnes subsanant me ...
Audivi contumelias multorum et terrorem in circuitu

De coronatione prophetia.
Egredimini filiæ Sion videte Regem Salomonem in diademate quo coronavit illum mater sua Canti 3

MEDITATIO XXVI.

De productione Domini à Pilato, ad populum.

Exiuit iterum Pilatus, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoſcatis, quia nullam in eo inuenio cauſam. *Ioan. 19.*

CONSIDERA 1. Pilatum, cùm exiſtimaret ita malè exceptum eſſe Dominum, vt cuiuſuis cor, etiam adamantinum, ad commiſerationem moueretur, produxiſſe eum foras; præceſſiſſe tamen nonnihil, vt Iudæorum ad pietatem præpararet animos. Condemnat porrò ſeipſum impius iudex, qui innocentem fatetur eum, quem in aliorum gratiam ita immaniter tractauit. Conſidera 2. illud [Ecce adduco,] quia verè res mira eſt, Deum ab homine, in quem tot tantaque beneficia contulit, tot iniuriis affectum, & vulneribus conciſum adduci. Admirare ingratitudinem tuam: Deus te in hunc mũdum omnibus bonis ornatum induxit; & tu eum de corde tuo grauibus peccatis dilaceratũ ignominiosè educis & eiicis: adeoque domi

eum tuæ non pateris quieſcere, quam nimirum aut furta, aut alia quæuis peccata occuparunt. Tu potiùs educas eum foras, populis laudandum & adorandum. Primò quidem eius notitiam & voluntatem verbis prædicans; deinde verò bonis moribus tuis eius ſanctam exprimens vitam, vt cum B. Apoſtolo dicas: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Educens porrò, fac intelligant omnes, nullam inueniri in eo cauſam, cur non ab omnibus debeat admitti, cùm præter ſigna amoris, ſanguinem pro te effuſum, verbera, liuores, nihil in eo videas; vt rectè de eo dicatur: *Cernitur in toto corpore ſculptus amor.*

Gal. 2.

Ioan. 19. Exiuit ergo Ieſus foras, portans ſpineam coronam, & purpureum veſtimentum.

CONSIDERA I. vt in publicum Dominus prodierit. Contemplare locũ editum, ad quem viginti tribus gradibus marmoreis (quos etiamnum Roma magna veneratione ſeruat) aſcendebatur, atque ante hunc, latiſſimum forum, multis hominum milibus, qui ad Paſchæ ſolennitatem, ex vniuerſa Iudæa conuenerant, refer-

refertum. Hi omnes, ſimulatque eminus Dominum cum Pilato prodeuntem, aſpexerunt, confertim propius accurrerunt, tam triſte & horribile ſpectaculum attentiùs viſuri. Egredimini & vos filiæ Hieruſalem, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua, ſynagoga Iudæorum. Egredere & tu anima mea, & vide diadema, cultumq. hunc regium, quem Deo tuo impoſuerunt peccata tua. Contemplare totum pacifici Regis tui corpus, manibus hoſtium ſuorum diriter laceratum, quo pacem tibi cũ Deo, tuaque ipſius conſcientia certiſſimam cõciliaret. En diadema ex ramis contextum, ſpiniſque, & delabentibus ſanguinis grumis ceu gemmis diſtinctum: manus & brachia pro armillis vincula geſtant: collum, totumque corpus pro torque aurea & baltheo, cingitur fune: pictura veſtis, ſunt vibices & vulnera: vultus porrò diuinus, phlegmate, ſputis, ſanguine, ſordibus, tanquam pigmentis & fuco depictus, aut larua contectus, horrorem aliis, tibi compaſſionem moueat. Expẽde Iſaiæ verba: Non eſt ei ſpecies, neque decor: & vidimus eũ, & non erat aſpectus .i. non videbatur hu- *Cantic. 3.* *Iſa. 53.*

mana

mana forma; & quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus; & nos reputauimus eum quaſi leproſum. Tu hunc Domini tui cultum intimo cordis affectu venerare, quo aduerſus hoſtes, pro te depugnans, victoriam tibi, gloriamque reportauit. Sicut enim arma illa, quibus tibi amicus honores & diuitias parauit, tu in precio habes, exoſcularis, ſtudioſè aſſeruas: ita hæc ſputa, hæc flagella, has ignominias, quæ tibi tantorum bonorum cumulum attulerũt, religioſè meditari, colere & amplecti debes. Agnoſcit enim ornatum ſuum Dominus, teq. facilius his veſtibus indutum, quàm mundano cultu venienté excipiet; quia à te quoque hoc vili habitu indutus, quàm ſplendidè ornatus, cogitari & adorari mauult. Conſidera 2. hunc ſaccum
Ioan. 1. corporis Chriſti, qui à te de cælis demiſſus eſt, plenus gratia & veritate, iam vndique ſciſſuris apertum, & lacerum, admirabilem de ſacris viſceribus ſpirare odorem, ita acrem, vt dæmones abigat, ita penetrãtem, vt ſaxea corda findat, ita ſuauem, vt ex omnibus orbis partibus aquilas alliciat.
Mat. 24. Vbi enim fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Tu igitur cordis tui na-
res

res emunge, purga ſordes vitiorum, vt ſuauitate odoris diuini excitatus, in odorem vnguentorum iſtorum curras. Rogaque Dominum, vt hac ſuauitate te trahat poſt ſe, inſtilletque tibi huius amorem paſſionis, vt tibi præ illa mundus ſordeſcat. *Cantic. 1.*
[Et dicit, Ecce homo:] Hac voce Pilatus commiſerationem excitare nititur, indicans primò quidem pœnarum acerbitatem, quaſi dicat: Agnoſcite hunc eſſe hominem, non beſtiam; ſi quid commiſit, exoluit copioſe. Miſereamini igitur homines, hominis; beſtiarum eſt non parcere victis. Deinde verò, Ecce homo eſt, & miſerrimus homo, quem vt Regem Iudæorum accuſaſtis, nihil ſane minus quàm vt ab hoc vobis Rege timeatis, quem prę nimia totius corporis deformitate, cruciatuumque atrocitate, vix hominem agnoſcatis. Tu iſta verba his modis vtiliter tibi accommoda. 1. [Ecce homo,] tibi ad imitandum propoſitus, hoc habitu, his geſtibus, hac animi corporiſque forma. Veteribus erat exemplar vitæ datus Abraham. Attendite ad petram (ait Iſaias) vnde excisi eſtis. Tibi proponitur hic homo, de quo Pater cæleſtis, Ipſum audite: & Filius *Iſa. 51.* *Mat. 17.*
Dei.

Mat.11. Dei: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Non igitur in aliorum hominum mores reſpicias, ſed in hunc hominem, in hanc faciem Chriſti tui, qui licet Deus ſit, cuius proinde virtutes nequeas & facta exæquare, eſt tamen verus homo, eadem humana infirmaque natura præditus, qua tu & cæteri homines. Primus
Pſal.48. parens Adam, te ex homine fecit ſimilem iumentis inſipientibus: ſi ad priſtinam humanæ naturæ dignitatẽ redire velis, cum hoc homine coniungere. 2. [Ecce homo] ad quem in omnibus neceſſitatibus tuis confugias. Hæc ſputa pro te perferuntur, hic ſanguis tibi propinatur, hæc mala omnia tibi donantur; tum vt his quaſi pharmacis peccata tua tollas, & vulnera cures; tum vt ea Patri æterno pro immenſis debitis exoluas. 3. [Ecce homo.] Vide quid huic homini attulerint peccata tua: ſuperbia tua has irriſiones, hunc contemptum peperit; auaritia tua hāc nuditatem; ebrietas tua hanc ſanguinis effuſionem; libido has ſpinas; ira hæc vulnera; inuidia hos liuores: acedia hæc vincula procurauit. O homo, attende hominem, ſed qualis qualem? Homo vermiculus, hominem Deum.

Deum. Heu quanto huic debetur gloria, & tibi quanta ignominia? Hic tamẽ qualis pro te factus? & tu quid agis aut suffers in gratiam eius? Factus est vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis, & quidem vt te in Deum eueheret. Tu verò nihil minus quàm de eius gloria promouenda sollicitus, tuis honoribus, opibus, commodisque occuparis. *Psal. 21.*

MEDITATIO XXVII.

De tertia accusatione Domini coram Pilato.

Cùm vidissent ergo eum Pontifices & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, Crucifige eum. *Ioan. 16.*

CONSIDERA I. populo ad commiserationem propenso & subticente, Pontifices, eorumque ministros, & adulatores, non conquiescere. Vt discas 1. neminem difficilius peccatorum pœnitentia moueri, quàm qui deliberata malitia peccat. Nã qui vel infirmitate, vel ignorantia delinquunt, citius ad cor redeunt, & veniã merentur: qui autem scientes volentesque mali sunt, admonitionibus adeò non emol-

emollefcunt, vt etiam indurefcant. 2. Hoftes Chrifti & Ecclefiæ nunquam reddi meliores, fi multa iis permittantur, fi indulgentius, mitiufque tractentur. Hoc enim genus hominum minis, terroribus, conftantia fuperandum eft, non conniuētia. Confidera 2. quòd ficut impij confpecto Chrifti fanguine, non aliter in necem eius inardefcebant, atque canes vifo fanguine feræ, ita conueniat te accendi in amorem paffionis Domini, contempla-
Pfal. 38. tione dolorum eius, vt in meditatione tua exardefcat ignis deuotionis. Confidera 3. vt penetrauerint vifcera Domini tui, hæ voces impiorum, Crucifige, Crucifige eũ,
Hier. 12. de quibus apud prophetam prædixit: Reliqui domum meam, dimifi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manum inimicorum eius: Facta eft mihi hæreditas mea quafi leo in filua. Compatere Domino tuo, & defle peccata tua, quę
Prou. 30 voces eafdem continenter edunt, funtque fanguifugæ inftanter clamãtes affer, affer.

Ioan. 19. Dixit eis Pilatus, Accipite eum vos, & crucifigite: Ego enim non inuenio in eo caufam.

CONSIDERA I. Pilatum indignitate commotum, durius respondisse Iudæis. Admirare tu teporem tuum, qui cùm sis Christianus, Christique dignitatem non ignores, dolorum etiam magnitudinem scias, illis denique causam te attulisse fatearis; non mouearis tamen, nec commiseratione in Christum, nec indignitate in teipsum. Disce iuste commoueri in eos, qui vel te vel alios, ad peccata incitare conantur, hoc est, in dæmonem eiusque ministros. Si (inquias) tu Dei bonitatem offendere velis, ego sanè in eo non inuenio causam, nisi amoris, reuerentiæ, gratiarum actionis. Considera 2. Pilatum, cùm sententiam mortis Dominicæ ferre nollet, mortem tamen eius non impediuisse, sed in alios authores transtulisse; quem tu imitaris, quoties malum, quod per te ipse perpetrare non audes, aliorum relinquis arbitrio. Considera 3. Impium Præsidem, post tot inflicta vulnera, nullã adhuc vel mortis, vel verberum inuenisse causam. Tu causam inquire in apertis visceribus Christi, ardentem nimirum charitatem, quæ saccum hunc corporis scidit, atque disrupit, & sanguinem hunc copiosum effudit.

Angeli ſancti, qui in huius Domini natiuitate ſtabant attoniti ad tantam charitatem, quæ Deum omnipotentem & immenſum eò adegit, vt fragile corpus infantile aſſumeret, quomodo non obſtupeſcunt modo tum ad amorem Dei, qui pro vili homuncione, vermis potius haberi voluit, quàm homo, eſſeque opprobrium hominum & abiectio plebis, omnium peripſema & ludibrium; tum ad Iudæorum truculentam malitiam, qui Meſſiæ ſui tot ſæculis prænunciati & expectati, pœnis pro illis ipſis ſuſceptis exatiari noluerint; tum ad cordis tui duritiã, quod ex tam ardẽti Creatoris tui charitate non liquefactum eſt, neque emollitum. Admirare tu eadem, rogaque Dominum, vt cor tuum amore ſuo ſuccendat.

Ioan. 19. Reſponderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit.

CONSIDERA I. arrogans reſponſum Iudæorũ: [Nos legem habemus.] Confidebant in lege quam in membranis habebant, & opere non implebant. Eos autem imitantur 1. illi qui verbum Dei iactant, perpetuoque inculcant, & toti ſunt

in

in fidei commendatione, cùm interim nihil agant vel fide, vel ſcripturis diuinis, vel Chriſtiano homine dignum. 2. illi qui in externis tantum ceremoniis pietaté conſtituunt, non autem in Dei cultu, & fraterna charitate. Conſidera 2. ſecundum legem mori debere Chriſtum; quia vniuerſa lex Moyſis & Prophetæ, mortem Chriſti & præſignificauerunt, & prædixerunt. Omnia enim veteris legis ſacrificia, crucis ſacrificium adumbrauerunt, & omnes Prophetę ad mortem Meſſiæ vaticinia ſua retulerunt. Verum igitur dicunt Iudæi, ſed non ad mentem ſuam; qui dicere volebant Chriſti peccatum atque blaſphemiam ex lege mereri mortem; vt diſcas, Deum, quæ malè à malis geruntur aut dicuntur, in bonum tuum commutare, vt tu quoque ex malis bona elicias. Conſidera 3. cauſam mortis, [quia Filium Dei ſe fecit.] Veriſſima mortis cauſa. 1. ſi Deum Patrem ſpectes; quia Filius Dei factus homo, ipſum hominem fecit filium Dei, in vnam Filij Dei perſonam humanam naturam aſſumens. Neque enim cum æterno Patre in gratiam reuertiſſemus, niſi per mortem illius hominis,

qui esset germanus & verus Filius Dei. 2. si Iudæos cogites; quia vitam ducebat Filij Dei. Ideo quippe inuidia eorum ad Christi necem exarsit, quòd vita sanctissima improbos eorum mores argueret. Tu caue ne aliud vnquam in te crimen notetur, quàm quòd filius sis Dei. Hoc enim nomine si patiaris, beatum te & fidelem
1 Pet. 4. discipulum Christi. Et quia hanc mortem Filius Dei subiit, te, vt filium Dei constitueret, roga eùm, vt hic sua gratia illustret animam tuam, teque in filium Dei euehat, & post hanc vitam communicata diuinitate sua inter filios Dei te compu-
Sap. 5. tet, & inter sanctos, qui filij Dei vocabuntur, sortem tuam constituat.

MEDI-

MEDITATIO XXVIII.

De secundo examine Christi facto à Pilato.

Cùm audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit: & ingressus est prætorium iterum; & dicit ad eum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. *Ioan. 19.*

CONSIDERA I. Pilatum, hominem videlicet ethnicum, gentili errore imbutum veritum esse, ne Dei fortasse cuiuspiam Iouis aut Martis Christus esset filius. Ita enim de Romulo & Remo, de Aenea, aliisque quamplurimis poëtæ fabulantur. Confirmabat opinionem, Christi respondentis modestia, & morum grauitas. Timebat igitur Dei parentis indignationem, cuius filium tam iniquè flagellasset. Metuit gentilis vanam iram Dei gentilis, & non metuit peccati turpitudinem: neque Iudæi metuunt iustissimam iram veri Dei. Tu metuis interdũ vmbras, spectra, somnia, & puerorum terriculamenta; nec metuis dæmones, peccanti tibi præsentes; districtum Christi offensi iudicium; immi-

nentem gehennam. Confidera 2. [Vnde es tu?] Mali neque Deum largitorem bonorum agnofcunt, neque vnde eis bona
Iſa. 1. eueniant. Agnofcit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini : gallinæ, feles, porci, ſi quid cibi proiicitur, erecto capite in eum intuentur qui proiecit; & homo tot beneficiis auctus à Deo, neque gratias agit, neque Deum agnofcit. Confidera 3. Chriſtum reſponſum nullum dediſſe, 1. quia neceſſum non erat, cùm ſuperiùs & innocentiam ſuam ſatis manifeſtam fecerit, & quæſtionis huius ſolutionem indicauerit, dicens: Regnum meum non eſt de hoc mundo: Ego ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, &c. Non enim loquebatur Dominus niſi raró, & neceſſa-
Hom. 87. *in Mat.* ria, & (ait D. Chryſoſtomus) ne perpetuo ſilentio ſuperbus videretur. 2. ne reſponſis ſuis videretur elabi velle, & mortem effugere, quam facilè euaſiſſet, ſi vel ipſe, vel eius permiſſu alius cauſam eius ſeriò egiſſet. 3. ne ſanctum canibus daretur. Iam enim Pilatus immani flagellationis peccato indignum ſe reddiderat diuino reſponſo. 4. quia homini Ethnico non potuit reſponderi ad eam quæſtionem, quam

nec

nec Angeli capiunt. Nam vnde est persona illa, quæ maiestate sua replet cælũ & terram, quæ in sinu Patris semper nascens, semper est nata & perfecta; cuius generationem nemo potest enarrare? Tu porrò hanc Domini tui maiestatem animo perpendens, viso eo iam coram hoc iniquo Præside tam fœdè dilaniato, tot deformato verberibus, tot sputis, sordibus, doloribus oppleto, admirans interroga, Vnde es tu? Túne es ille, cuius Pater est Deus, cuius ministri sunt Angeli, cuius regnum est cælum? Nam si ex habitu, vt fit, de conditione hominis iudicãdum est; videris vermis potius quàm homo, eductus de luto, quàm veniens de cælo. *Isa. 53.*

Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? *Ioan. 19.*

CONSIDERA I. Pilati superbiam, 1. quia Christi taciturnitate se ratus contemptum, principatus sui potestatem, quasi virgam intentat: facilè quippe indignatur homo superbus, qui nec minimum quidem ab aliis tolerare patitur,

cùm interim nihili faciat, quæ aliis ipſe infert incommoda. 2. quia ſibi tribuit authoritatem aliunde acceptam, vt tu diſcas 1. Deo accepta referre omnia dona ab ipſo collata, ne ingratus poſſeſſor iis exuaris. 2. dona illa agnoſcere, & in Domini tui vtilitatem expendere; ne illis abuſus, grauiori ſupplicio damneris. Seriò igitur tecum cogita, quantis opibus, authoritate, doctrina, corporis viribus, aliiſq́ donis polleas; quãtum vtilitatis, vel ad Dei gloriam augendam, vel ad proximorum ſalutem promouendam, iis adferre poſſis; quantum boni illis effeceris; & quodcunque
Eccl. 9. que facere poteſt manus tua, inſtãter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas. Conſidera 2. Pilatum agnoſcere in ſe liberam poteſtatem, cruci Dominum ſuffigendi, & eiuſdem dimittendi; vt diſcas 1. tibi non deeſſe liberum arbitrium ad rectè vel malè agendum, eoque
B. Aug. vtaris ad virtutes excolendas, non ad pec-
epiſt. 45. cata committenda. 2. Peſſimam eam eſſe libertatem, qua mala nobis licent, & optimam neceſſitatem quæ ad meliora compellit. Tu igitur ſic te Chriſto adſtringe, vt

mala

mala non liceant, ſed bona ſola atque virtutes velle poſſis & agere. Ea namque vera eſt & Chriſtiana libertas, ita poſſe ex virtute operari, & quę ratio fideſque dictant; perficere, non ſi liceat peccare, ſed ſi voluntas in bono confirmata, nullis poſſit vel concupiſcentiæ, vel aliis impedimentis à propoſito dimoueri.

Reſpondit Ieſus: Nõ haberes poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper; propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. *Ioan. 19.*

CONSIDERA I. Chriſtum his verbis repreſſiſſe Pilati ſuperbiam, quẽ docet à ſe nullam habere poteſtatem, ſed vel datam deſuper à Cæſare, cuius vices gerebat, (ſicut interpretatur B. Auguſtinus) vel *Tra. 116. in Ioan.* conceſſam cęlitus à Deo, citra cuius peculiarem permiſſionem, in Chriſtum Dei filium, nemo quicquam potuiſſet. Poteſtatem autem hanc acceperat cum cæteris hoſtibus Domini Pilatus, quando in horto licentiam in ſe ſæuiendi his verbis fecit: Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. *Luc. 22.* Et licet magis peculiari opus fuerit permiſſione ſæuiendi in Chriſtũ, quàm in quemuis alium Chriſtianum, rectè tamen

Lib. 3. ad Quirinū cap. 80. men diſcis cum D. Cypriano, nihil poſſe diabolum in hominem, niſi Deus permiſerit. Conſidera 2. [Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.] ſubintellige, quàm ſi quemuis alium hominem tibi ad necem obtuliſſet; vel maius quàm tu, partim quia tu quaſi ex poteſtate, & à populo Principibuſque impulſus, ille ex ſe, priuato odio, & deliberata malitia; partim, quia tu ignoras perſonæ meæ & officij dignitatem, quam Iudæi ex vaticiniis prophetarum ignorare non debebant nec poterant, viſis tot miraculis, quæ non niſi
Ioan. 15. à Meſſia futura erant, vt excuſationē non haberent de peccato ſuo. Diſcis 1. peccata omnia non eſſe paria (vt quidam nugantur,) ſed grauiora eorum, qui ex deliberata malitia, quàm qui infirmitate vel ignorantia peccant; qui pios, quàm qui impios rident, & perſequuntur; qui alios ad peccatum inducunt, quàm qui inducuntur. Nam horum peccatum etiam in inductores redundat. 2. diſcis cùm ab omnibus peccatis abſtinendum, tum vel maximè ab illis, quæ committuntur in Deum, vt ſunt hæreſis, blaſphemia, periuriū, diuinarum & ſacrarū rerū vel irriſio, vel prophanatio.

Vt enim iſta cæco hominum iudicio, qui nihil niſi quod cum proximi læſione coniunctum eſt, in vitiis ponunt, videantur exigua: Deus tamen ſuam iniuriam, quàm vllius creaturæ acriùs vindicabit. Tu admirare Chriſti bonitatem, qui tam piè docuit impium iudicem; eumque roga, ne tibi vllam vnquam faciat peccandi libertatem.

MEDITATIO XXIX.

De quarta accuſatione Chriſti coram Pilato.

Exinde quærebat Pilatus dimittere eũ. *Ioan. 19.* Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, nõ es amicus Cæſaris: Omnis enim qui ſe regem facit, contradicit Cæſari. Pilatus autem cùm audiſſet hos ſermones; adduxit foras Ieſum, & ſedit pro tribunali, in loco qui dicitur lithoſtrotos, Hebraicè autem Gabbata. Erat autem paraſceue, hora quaſi ſexta.

CONSIDERA 1. Pilatum audita mentione peccati, ſeriò de Chriſto dimittendo

cogitasse, ne se maiori crimine obstringeret; vt tu discas Christi amore in posterum à peccatis abstinere, quia sufficit hactenus Deum offendisse, & conscientiam turpitudine peccatorum defœdasse; sed esto Pilato constantior, vt cui plus gratiæ Deus indulsit. Considera 2. inflammatū odium Iudæorum, quos cùm accusationes deficerent, minis iudicem terruerunt, & impulerunt ad scelus; quasi dicant: Deferemus te apud Cæsarem, cuius hostem & æmulum Regni fouisti. Improborum est, metum incutere, quando veritate nihil possunt. Tu, si præter Deum metuas neminē, hostibus omnibus superior euades. Considera 3. Pilatum hactenus virum fuisse, quamdiu suis commodis nihil decessit. At verò vbi honorem suum nomenque agi existimauit, cedit minis, ac frangitur; similis illis qui veritatem tuentur, quamdiu nullo id incommodo suo fieri posse existimant; quòd si verò aliquis se turbo immittat, vela conuertunt, ceduntque tempestati, neque se suaque implicari patiuntur. Tu mundum fugias, ne te negociū Christi agentem ad iniquum aliquid abducat. Is enim qui se Regem facit, & sibiipsi

suisque

ſuiſque cupiditatibus dominatur, non eſt amicus Cæſaris, principis, inquam, huius mundi, diaboli, cuius amicitiam ſi ambias, & iram ſi metuas, nihil minus quàm quòd Pilato euenit, conſequeris; qui delatione Iudæorum in alia cauſa, excidit Cæſaris amicitia, in exilio miſerè mortuus. Dæmon metuentes ſe perſequitur; odientes fugit & deſerit. Conſidera 4. locum, diem, & horam damnationis Chriſti diſtinctè annotari. 1. ad magnitudinem declarandam eius mali, quo Filius vnigenitus veri Dei, crucis ſupplicio fuit adiudicatus. 2. ad myſterium ſignificandum, quòd his continetur. [Dies erat paraſceues,] hoc eſt, dies ſextus, quo creatus fuit homo, eodem reformandus, & verus agnus immolandus, quo typicus occidebatur. [hora quaſi ſexta,] hoc eſt, paulò ante meridiẽ; qua hora & agnus typicus ad immolandum præparabatur, & homines paſſim genio indulgent. Locus λιθόστρωτος, hoc eſt, lapidibus ſtratus, & גַּבְּתָא hoc eſt editus, quia & ab hominibus ſaxis ipſis durioribus, & elatis damnatus ſit Chriſtus, & pro tua ſuperbia, cordiſque duritia & cæcitate, ſententiam mortis ſuſceperit. Roga

Domi-

Dominum, vt cæcitatem tuam illuminet, duritiem emolliat, deprimat elationem.

Ioan. 19. Et dicit eis Pilatus: Ecce Rex vester. Illi autem clamabant: Tolle tolle: Crucifige eum.

CONSIDERA 1. Pilatum, cùm aliis rationibus nihil proficeret, nunc vel risu misericordiam prouocasse, quasi diceret: Eia insignem Regem, quem de ambitu accusatis. Qui enim vix videatur homo, quam possit habere spē regni? Vel ad obstringendum Iudæos seruituti Romanorum, quam exosam habebāt, Messiamque suum negandum ista dixisse. Adhuc enim scintilla pietatis in eius animo vigebat; vt discas quam ægrè à nobis recedat Dominus. Considera 2. tria nomina, hoc passionis tempore, Christo à Pilato & Iudæis data, Homo, Rex, & Filius Dei; quæ tria
Mat. 2. Magi suis muneribus agnouerunt. Non enim potuit nobis dari salus, nisi pateretur Deus & homo, qui passione sua dæmoni regnum mundi eripuit. Considera 3. verbum plenum consolationis: [Ecce Rex vester:] quo sanè verbo Regis nostri conditiones nobis indicantur, qui non sit durus,

rus, difficilis, importunus exactor, laboribus opprimens, vectigalibus onerans, iugum graue imponens; sed amabilis, facilis, effusa charitate labores, dolores, sanguinem & vitam suam nobis donans; & eum quidem sanguinem, quo solo peccatorum nostrorum sordes abluantur: portat deinde peccata nostra, onera nostra sustentat; denique corpore & sanguine nos reficit, iugumque suaue suum ipse ex- *Osea 11.*
altat super maxillas. Huic porrò Regi tu nomen in baptismo dedisti; sub illius signis militare cœpisti, eius proinde arma bellica diligenter intueare, modumque cũ hoste confligendi obseruato: tibi enim iisdem vtendum est armis; tibi eũdem in modum, & sedulò dimicandum; humilitate, inquã, contemptu, charitate, cæterisque virtutibus ad victoriam properandum, si tamen iisdem velis præmiis donari. Considera 4. effrenem Iudæorum insaniam, qui à se Regem gloriæ cum regno abiiciunt. Tolle, tolle (inquiunt) nolumus hunc regnare super nos. Tu porrò Iudæorum Regem, à *Luc. 19.*
Iudæis reiectum, & Gentibus datum tolle, & introduc in domum matris tuæ, & in *Cantic. 3.*
cubiculum genitricis tuæ; eum tibi Re-
gem

gem præficito, non mundum, non dæmonem, non ventrem, non mammona. Dicaſque non iam, Ecce Rex veſter, ſed, Ecce
Gal. 2. Rex noſter, imò verò, Rex meus, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Caue porrò, ne Regem ſemel ſuſceptum peccato aliquo iterum crucifigas; ne de te
Mal. 3. queratur, Vos cõfigitis me gens tota: quin
Gal. 2. potius Chriſto confixus cruci, ora ipſum,
Pſal. 118 vt configat timore ſuo carnes tuas.

Ioan. 19. Dicit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt Pontifices: Non habemus Regem, niſi Cæſarẽ.

CONSIDERA I. in hac interrogatione Pilati, quàm ſit indignũ, Meſſiam, ab ipſo mũdi exordio hominibus promiſſum, tot deinde ſæculis expectatum, miſſum tandem ſumma æterni Patris commiſeratione in ſalutem Iudæorum, talem tamque miſerabilem vitæ finem ſortitum, vt inglorius ac maledictus, ad horrendum illud ſupplicium crucis poſtuletur. Tu porrò ad teipſum conuerſus, num ſimili fortaſſe errore inuoluaris, attende. Scis te in hunc finem editum mundo, vt Deo tandem in æterna illa ac cæleſti fælicitate perfruaris:

ſcis

ſcis mundi huius machinam vniuerſam, in tui gratiam à Deo eſſe conditam; eadem etiam cauſa ipſum Dei Filium de cælo deſcẽdiſſe, ex virgine natum eſſe, tibi omnes ſuos labores, paſſionem denique ac mortem ſuam cõſecraſſe: Tu verò horum omniũ nulla habita ratione, quando Deo frui deberes, peccatis tuis Deum repellis, præcludis cælum, negligis ſalutem, penituſque contemnis. Conſidera 2. inſanam hanc Pontificũ electionem. Nolunt Meſſiam à Deo donatum; quaſi verò ſit ipſorum, Meſſiam ſibi ſuo arbitratu ac voto deligere; & non potius quem Deus Meſſiam dederit, ſuſcipere. Inſania hominum intolerabilis, qui ſibi vel Deum pro arbitratu conſtituunt, vel religionem excogitant, vel Dei cultum ex diuinis literis, pro ſua voluntate intellectis, atque detortis, eligunt; vnde & hæretici .i. electores, iure vocantur. Dei eſt, religionem dare, & modum ſe colendi præſcribere, non autem noſtrum eligere. Conſidera 3. inuidiæ naturam, quæ alteri malum quærit, & ſuo quidem incommodo. Graue illis erat, atq. exoſum Romanorum imperium: hoc tamen pontifices pro ſe & vniuerſo populo

præferunt ſuaui iugo Chriſti. Diſce 1. affectus prauos animi deponere, ne in grauiora mala corruas. 2. non tantam externę nobilitatis aut potentiæ rationẽ habere, vt propter eam vel minimum Dei mãdatum violes, aut à recto deflectas. Nihil enim vel nobilitas, vel potentia, vel ſplendor externus authoritatis habet, niſi ſub Chriſto, & propter Chriſtum, à quo omnis poteſtas in cælo & in terra nominatur, & ad quẽ omnis honor & gloria refertur. Conſidera 4. à Deo ſtultam Iudæorum electionem confirmatam; nam & Meſſia ſuo, quem à Gentilibus tolli voluerunt, tot annis priuati ſunt; & externis regibus in ſeruitutẽ
Mat. 22. dati, qui ciuitatem eorum ſuccenderunt;
Mat. 24. templum, vt nõ relinqueretur lapis ſuper
Pſal. 78. lapidem, euerterunt: comederunt Iacob & locum eius deſolauerunt: diſperſerunt eos in gentibus; graui ſeruitute oppreſſerũt, vt ſint opprobrium vicinis ſuis, ſubſannatio & illuſio his qui in circuitu ipſorum ſunt. Tu nihil à Deo petas, niſi vt te regat, à te graue iugum auferat dæmonis exactoris.

MEDI-

MEDITATIO XXX.

De condemnatione Christi.

Videns autem Pilatus quòd nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: accepta aqua, lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius; vos videritis. *Mat. 27.*

PILATO, Ethnico nimirum homine, ex conscientiæ tamen & rationis dictamine commoto, idque vnum agere, vt Christum indemnatum dimittat, Iudęi tumultuantur. Considera ergo 1. quantum ea res Christi animum afflixit, quòd cùm Ethnicus homo à Dei notitia & sacramẽtis alienus, pro eo liberando sollicitus esset, illi mortis sententiam magno tumultu pronunciari cogitent, quibus Deus & sui magnam notitiam contulisset, & variis sacramentis eos ornasset. Disce non mirari si quædam tibi contra æquitatem, rectamque rationem eueniant. Considera 2. tumultuari malos; quia sicut infernus est tumultu & horrore plenissimus; sic quæcunque à dæmone suggeruntur, non nisi ad tumultum referuntur & perturbationem,

ſeu externam ciuium, ſeu internam animorum. Conſidera 3. Pilati ceremoniam, qui manus quidem aqua lauit, ſed crimen conſcientiæ non abluit; non enim externa aqua, ſed lachrymis peccata purgãtur. Hãc porrò aquam lachrymarum, tu peccatis commiſſis adhibeas vt diluantur, non autem præmittas, vt nimirum pecces impunè; quia ſicut peccata quælibet iam admiſſa delentur lachrymis & pœnitentia, ita nihil prorſus eſt, quòd impunitatem peccandi redimere poſſit. Conſidera 4. verba Pilati, [Innocens ego ſum.] Putat ſe innocentem, quia iuſtum inuitus damnat. Sed innocens eſſe non poteſt, qui iiſdem labiis Ieſum miſit in crucem, quibus eum pronunciauerat innocentem. Diſcis autem hiſce Iudæis eos non eſſe diſſimiles, qui nullis neq. monitionibus acquieſcũt, neque rationibus commouentur; & Pilati quidem ſcelus imitantur. 1. qui ad aliorũ poſtulationem in conſcientiam peccant. 2. qui quouis prætextu ſe excuſantes culpam in alios retorquent. 3. qui boni cuiuſuis ſimulatione nequitiam mentis tegũt. Tu verò hac Pilati voce, vide cautiùs, tuoque commodo vtaris: Innocens ſim

B. Leo ſer. 3. de paſſ. Domini.

ego

ego Domine ex ſanguine iuſti huius. Cùm enim iſte ſolus ſit iuſtus, veráque iuſtitia noſtra, nihil mihi innocentiam adferet animæ, niſi ex ſanguine iuſti huius, pro iuſtitia fuſo in remiſſionẽ peccatorũ.

Et reſpondit vniuerſus populus, dicens: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. *Mat. 27.*

CONSIDERA 1. cæcum furorem inuidiæ; non negant iuſtum, ſed eum qualis, qualis tandem ſit, petunt ad crucem, vtque timido præſidi animũ addant, mortemque iuſti accelerent, ſeipſos poſteroſque ſuos grauiſſimis malis obſtringunt. Hæc vox Chriſti Domini cor percutit, qua populus Dei hoc ſanguine liberandus, ſibi ſanguinis vltionẽ imprecabatur. Conſidera 2. quanta ſit inſania, malum ſibi poſtulare, cuius magnitudinem ignores. Si enim graue ſupplicium meretur peccatum omne, pro quo delendo hic ſanguis fuſus eſt, heu qualis gehenna manebit peccatum illud, per quod hic ſanguis fuſus eſt? His cæcis Iudæis ſimiles ſunt. 1. qui nihili pendentes ſecuturas inferni pœnas, quarum ignorant grauita-

tem, Deum peccatis suis pergunt offendere. 2. qui res arduas nulla consideratione suscipiunt. 3. qui alienis se grauant peccatis, & quid porrò futurum sit non perpendunt. Considera 3. Dei bonitatem, qui sicut pro voto & postulatione Pilati Gétibus pepercit; ita cum Iudæis minus seuerẽ quàm pro eorum petitione egit; quia & multos ex his ipsis in gratiam recepit, & multa millia posterorũ ad fidem salutemque perduxit. Tu porrò da operam ne peccatis tuis reus sis corporis & sanguinis Domini, sed roga vt sanguis eius sit super te, & super filios tuos in salutem & remissionem peccatorum.

Mar. 15. Luc. 23. Mat. 27. Ioan. 19. Tunc Pilatus volẽs satisfacere populo, adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autem eis eum qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, Barabbam quem petebant: Iesum verò flagellatũ tradidit volũtati eorũ vt crucifigeretur.

CONSIDERA 1. in necem Christi peccasse sacerdotes inuidia; populũ seniorum persuasione; Pilatum vt satisfaceret populo. Nullus vacauit culpa, quia primi malitia, secundi ignoratione, tertius imbecillitate

tate peccauit. Nam pro omnibus omninò peccatis, quacunque tandem ratione cõmiſſis & perpetratis, Chriſtus ſupplicium crucis ſuſcepit. Conſidera 2. modũ damnationis hactenus inſuetum. Nam primò, prætermiſſis criminibus quibus damnatio debetur, pronunciatur à iudice iuſtus. Innocens, inquit, ego ſum à ſanguine iuſti huius, vtpote qui non pro peccatis ſuis, ſed pro iuſtitia ſua condemnaretur. 2. dimittitur reus grauiſſimis opertus flagitiis, vt iuſtus damnetur; quia idcirco mortuus eſt Dominus, vt flagitioſos quoſuis ab ęterna morte, ſua morte liberaret. 3. non conſueto modo cruci adiudicatur, ſed pro Iudęorum voluntate in cruce torquendus; hoc eſt enim quòd dicitur: [tradidit voluntati eorum vt crucifigeretur.] vt enim tu in voluntatem eius te totum traderes, voluit ſe totum tradere volũtati impiorum. Roga igitur Dominum tuũ, ne te tradat voluntati hoſtium tuorum; ſed hac tam iniqua ſuæ mortis ſententia te liberet à iuſta ſententia mortis æternæ.

MEDITATIO XXXI.

De baiulatione Crucis.

Ioan. 19. Mat. 27. Mar. 15. Susceperunt autem Iesum milites, & exuerunt eum chlamydem coccineam, & induerunt eum vestimentis suis, & eduxerũt vt crucifigerẽt.

Considera 1. Dominum tuũ, cuius hactenus visus est Pilatus suscepisse patrocinium, nunc omni humano præsidio destitutum, tradi tortoribus; ne tu desertus à Deo tradaris dæmonibus. Aspice corpus tenellum, omni ex parte saucium, crudelibus manibus contrectari. Tu ad leue vulnus non fers attactum alterius; quos igitur Domino tuo expresserunt dolores, immites istæ militum raptationes? Considera 2. exutam à militibus chlamydem, vt denuò nudus totius populi oculis magno castissimi cordis rubore exhiberetur. Aspice vt purpura sanguini concreto adhærescens, insolenter detracta, vulnerum dolores renouauerit, sanguinem elicuerit, & laceram cutẽ cum carne abstulerit. Christus porrò hanc vestem abiecit, vt pro te alacriùs crucis lignum susciperet. Sicut enim

enim operarij grauem aliquem laborem aggressuri vestes deponunt, vt leuius operentur; ita Christus hac sua passione quater abiecisse vestes legitur, quoties res maximas erat perfecturus; vt quãto, & quàm ingenti animo tuam operaretur salutem, non ignorares. 1. quando per flagella de toto corpore, tibi sanguinem suum erat expressurus. 2. quando coronam de spinis contextam, ad solidum regnum tibi parandum, erat in capite accepturus. 3. quãdo hoc lignum crucis, tanquam sceptrum regni & principatum, seu clauem Dauid, qua cælum tibi reseraret, humeris suis erat impositurus. 4. quando eandem crucis arborem velut thronum Salomonis erat conscensurus. Considera 3. reddita illi vestimenta sua, vt toto vultu, sputis, sordibus, sanguine oppletus & ignotus, ex consuetis saltem vestibus, quis esset, agnosceretur. Induit porrò Dominus hęc vestimenta sua, vt vesté suam Ecclesiam, eiusque singula membra, tum cruce hac sua & madente corporis sanguine Deo consecraret, tum crucem ferre & dura tolerare doceret. Corona spinea non legitur de capite ablata, vt nimirum iuxta veterem

Isa. 9. & 22.

Colloquio cum Tryphone. Dauidis prophetiam (quam queritur B. Iustinus à Iudæis erasam) Dominus regnaret à ligno. Considera 4. educi Dominum de ciuitate, vt, tanquam indignus qui in sancta ciuitate moreretur, foris cū sceleratis pœnas daret. Egressus est porrò Dominus, 1. vt hoc suum sacrificium nō pro Iudæis solis, pro quibus in templo sacrificabatur, sed pro vniuerso terrarum orbe immolari doceret; imò verò Iudęis, quamdiu in patriis ritibus spem suam collocarent, hoc sacrificium crucis nullam allaturum vtilitatem, iuxta illud: Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt. Vt igitur te foris errantem ouem quæreret, & hoc quasi pastorali pedo ad caulas te compelleret, crucem baiulans egressus est. 2. vt ne putes in mundi curis, in turbis ciuitatis, in negotiorum tumultu Christum inueniri. Foris est in quiete conscientiæ, in contemptu, in nuditate, in omniū rerum indigentia. Exeamus igitur (inquit Apostolus) ad eum extra castra, improperium eius portantes. Fuge mundum, vt Christum inuenias.

Psal. 95.

Heb. 13.

Heb. 13.

Et

Et baiulans ſibi crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum, Hebraicè autem Golgotha. Ducebãtur autem & alij duo nequam cum eo vt interficerentur. *Ioan. 19.* *Luc. 23.*

CONSIDERA 1. tota ciuitate repertum neminem, qui Domini crucem ad locum ſupplicij deferret: militibus non lubebat, Iudæis erat execrabilis vel ſolus attactus; quia ex ſcriptura maledictus fuit omnis, qui penderet in ligno. Itaque debuit ipſemet Dominus ſuſcipere humeris lignum ſupplicij ſui. Tu verò perpende, anne iſtos imiteris, cui ſubinde moleſtum eſt, de Domini cruce & paſſione vel cogitationem ſuſcipere; duriſſimũ autem, leue quid pro amore ſponſi tui vel ferre vel attingere. *Deut. 21*

Conſidera 2. qua inſolentia graue illud lignum in teneros humeros, eoſque multis plagis faucios iniecerint. Hanc crucem dat mundus grauem, moleſtam, quam ſolus ferre cogaris, nullo cuiuſquam auxilio leuatus. Chriſtus verò ſuaue iugum imponit & onus leue, illudque ipſe gratia ſua ſubleuat, & exaltat ſuper maxillas. Roga Dominum, vt huic cruci peccata tua imponat, à te illa in corpus ſuum transferens, *Mat. 11.* *Oſea 11.*

eaque

Ioan. 1.

eaque sanguine & morte delens; quia ipse est Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Considera 3. quo sit profectus Dominus, nempe ad montem vrbi vicinum, cui nomen erat Golgotha, hoc est, Caluaria, vel à sepultura primi parentis Adami, eiusque caluaria illic inuenta, quemadmodũ nonnulli, teste [a] B. Chrysostomo; & [b] Hieronymo, arbitrati fuerunt: vel à craneis mortuorũ, qui in hoc monte (qui fuit reorum supplicij locus) pœnas mortis dedissent. Fœtidus erat locus & infamis, sed eum Christus sua morte sanctificauit, & Adami peccatum suo sanguine diluit. Considera 4. cum Christo ductos ad supplicium latrones duos, vt iuxta Isaiæ vaticiniũ, cum iniquis reputaretur, passimque diceretur tres eo die latrones à iudice neci datos. Verisimile est enim circa festa celebriora, quando populus vniuersus conuenire solet, ad cæterorum exemplum, reos aliquos extremo supplicio damnari consueuisse; & nunc ad Iudæorum petitionem (quorum voluntati Pilatus cedere constituerat) insigniores aliquos delectos esse, quorum dux, & antesignanus haberetur Dominus tuus. Tantum erat desiderium pontificum obscu-

a Hom. 84. in Ioan.

b In cap. 5 ad Eph. et in epist. Paulæ ad Marcellã. Origenes tract. 35. in Mat. Cyprian. ser. de resurre. Domini. Athanasius de pas. Dom. Epiphan. hæresi 46 Ambros. epist. 19. August. ser. 71. de tempore. Theophyl. & Euthymius in Ioan. 19. Isa. 53.

obſcurandi nominis Chriſti. Ipſe porrò Dominus conſilio longè alio cum latronibus & facinoroſis elegit cruci affigi. 1. vt ſcires pro peccatoribus mortuum, & illis omnibus qui latrones ſunt & homicidæ animarum ſuarum, nullumque eſſe tam graue flagitium, quod Chriſti morte deleri non poſſit. 2. vt hac tali ignominia æternam tibi gloriam compararet, teque ex latrone iudicem in futura vita conſtitueret. Tu igitur Dominum roga, vt te ſecum ad montem trahat, tibique crucis ſuæ merita communicet.

Exeuntes autem inuenerũt hominem quẽdam Cyrenæum, nomine Simonem, venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi: hunc angariauerũt vt tolleret crucem eius: & impoſuerunt illi crucem portare poſt Ieſum. *Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23.*

CONSIDERA 1. Iudæos viſa Chriſti imbecillitate, qua exhauſtus laboribus & pœnis, ſanguineque vbertim effuſo, tanto oneri videbatur ſuccumbere, metu ne ante grauiora ſupplicia crucis expiraret, motos non pietate ſed crudelitate, gentilem quendam adegiſſe ad crucem ferendam

poſt

post Iesum. Hoc autem illorum factū aliò Deus referebat. Significare enim voluit 1. crucem sanguine Domini consecratam esse datam Christianis ex gentilitate conuersis, qui eam alacres tulerunt, & Christū cruce onustum ac præeuntē, onusti & ipsi sua cruce diuersimodè secuti sunt; hi martyrij pœnis; illi ieiuniis; vigiliis alij, cæterisque voluntariis corporis afflictationibus; multi etiam domitis prauis animæ motibus, victoriaque sui. 2. nō satis esse si Christus crucem suam baiulet, & eam nos sola fide & meditatione aspiciamus. Opus est enim admouere manum, piisque operibus
Luc. 2. Christum sequi dicentē; Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucē suam quotidie, & sequatur me. Cōsidera 2. quisnā ille sit, qui vtiliter Christi crucē ferat. 1. [Simon] .i. Dei mandatis, & suggestionibus obediēs. 2. [veniens de villa,] qui rusticitate peccatorū deposita, agrestes mores deserit. 3. Cyrenensis ex Pētapoli, vt quinque sensibus Christi crucem baiules. Considera 3. Simonem hunc non sponte sua, sed coactū atque inuitum huic cruci humeros submisisse; vt discas 1. vim inferendam naturæ, crucem eiusmodi

modi, morumq́ue mutationem & ſenſuũ mortificationem abhorrenti. 2. non temerè pericula adire, ſed ab aliis illata mala patienter ſuſcipere. Et milites crucem imponunt, quia improbi homines ſuis vexationibus & tormentis, occaſionem præbent iuſtis cum Chriſto patiendi. Conſidera 4. vtilitatem, quam Simon iſte, vel inuitus crucem portans, tanquam laboris mercedem reportarit. 1. eius nomẽ, diuulgato in orbem terrarũ Euangelio, immortalitatis memoriæ eſt conſecratum. 2. ciuitas eius & patria omnibus deinde innotuit Chriſtianis. 3. Filios habuit nõ Chriſtianos modò, ſed inter Chriſtianos celebres. Tu igitur crucem & moleſtias pro Chriſti nomine ne refuge, quia & glorioſos reddit Crux Domini, & permultas ſecum adfert commoditates. Feras autem poſt Ieſum, non præcurras ante Ieſum; nec tibi quam voles crucem eligas, ſed ab eo datam ſuſcipias, rogaq́ue eum, vt gratia ſua onus ſubleuet, & humeros confirmet.

Vide Chryſoſt. Hom. 1. ad populũ Antiochenum.

MEDI-

MEDITATIO XXXII.

De mulieribus Christum sequentibus.

Luc.23. Sequebatur autem multa turba populi, & mulierum quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas Iesus, dixit: Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vosipsas flete, & super filios vestros.

CONSIDERA 1. ad hoc triste spectaculum, innumerabilem hominũ turbam confluxisse, quibus fortè (vt hodie moris est plerisque in locis) signum aliquod dabatur futuri supplicij. Et quidem, quòd solæ mulieres dicuntur lamentatæ, & plãxisse, argumento est, non defuisse irrisores, *Psal.68.* & spectatores curiosos, iuxta illud; Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta. Tu verò quo affectu Dominum tuum sequeris? quo animo compateris? quibus oculis intueris? an fortè deest in hoc spe- *B. Bernardus ser.3. de nat. Dom.* ctaculo tibi doloris & lachrymarũ occasio, cùm tibi non sibi sic onustus & deformatus procedat Dominus? Tu foris ludebas in

in platea, & in ſecreto regalis cubiculi ſuper te ferebatur iudicium mortis. Audiuit hoc vnigenitus Dei Filius, exiit poſito diademate, ſacco veſtitus, ſpinis caput redimitus, nudus pedes, ſanguine madens, flens & eiulans, quòd morte damnatus eſſet ſeruulus eius. Intuêris illum procedentem, cauſam quæris & audis. Quid facturus es? adhuc ludes & deludes lachrymas eius? & non potius ſequêris cum lugente lugens, & ex cõſideratione remedij, periculi tui æſtimans quantitatem? Conſidera 2. mulierum iſtarum lachrymas nõ ingratas quidem fuiſſe Domino, qui ſe in tantis tormentis in ſignum amoris ad eas conuertit; repreſſas tamen, quia ex mala opinione fundebantur ab illis, quæ hanc Domini mortem, tãquam ſummum malum, & extremam miſeriam, cũ nulla vtilitate coniunctam, humana commiſeratione deflebant. Tu luge, dole, & lachrymare. 1. quia tantarum pœnarũ cauſam attuliſti. 2. quia tantis beneficiis ingratum animum hactenus præbuiſti. 3. quia fortaſſis hęc mors Domini tui, non medelam & gloriam, ſed maiorem damnationẽ tibi eſt allatura. Conſidera 3. quàm difficile

fuerit hoc iter Domino tuo, quod lachrymis prosecutæ sunt mulieres. Tu cogita septem vias difficiles, quas pro te hac passione ambulauit, vt tibi septem peccatorũ Capitalium vias, quę ad infernum ducũt, obstrueret, & septem donis Spiritus sancti viam vitæ æternæ aperiret. Iuit enim 1. ex domo cænæ ad hortũ. 2. inde ad Annam. 3. ad Caiphæ domum. 4. ad Pilatum. 5. ad Herodem. 6. rursus ad Pilatum. 7. ad crucem. Tu in profectionibus tuis de his viis meditare, & pro amore Domini tui in via mandatorum eius curre.

Luc. 23. Quoniam ecce venient dies in quibus dicent: beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: cadite super nos, & collibus, operite nos.

CONSIDERA 1. bonitatem Domini tui, qui in mediis pœnis admonitione quęrit nostram salutem, & terrore futurorum malorum studet ad pœnitẽtiam commouere. Loquitur porrò mulieribus, non viris. 1. vt qui à viris supplicium sustinebat, ne videretur ad vindictam comminari. 2. vt ex his malis quæ mulieribus minus

nus hac passione in Christum peccantibus prænunciata sunt, intelligerent viri, non minora sibi impendêre. 3. vt mulieres, quę præter cæteros mortem & dolores Domini plangebant, hac prædictione solaretur, qua significabat & iniustè se pati mortẽ, quæ tam grauiter post paucos annos esset vindicanda, & vindictam illam ab illis declinari posse, quæ desinant esse filiæ terrenæ istius Hierusalem, si sese ad Christi fidem conuertant. Considera 2. cùm olim maledictæ fuerint steriles, iam in Christo steriles benedici; siquidẽ eunuchis, hoc est, iis qui casti & cælibes in Ecclesia viuunt, datum est nomẽ melius à filiis & filiabus. Considera 3. in omnibus vitæ huius molestiis dicendum montibus, cadite super nos; & collibus, operite nos; nempe recurrendum ad auxilia Sanctorum, qui nomine montium & collium in scripturis vocantur; sicuti apud Isaiam: [Erit præparatus mons domus Domini.] i. Christus Ecclesiæ caput, [in vertice montium, & eleuabitur super colles,] dignitate præstans sanctis omnibus, tam magnis quàm minoribus. Considera 4. tametsi prædictiones istæ Domini præcipuè ad Hiero-

Isa. 56.

Isa. 2.

 soly-

ſolymorum expugnationem pertinerent, referri tamen poſſe atque debere ad omnes etiam peccatores, qui cum ſuis peccatis huic morti Dominicæ cauſam attulerunt: eius tamen meritorum participes facti non ſunt, neque cũ Deo per hanc mortẽ in gratiam redierunt. Illi enim qui modo ſecurè viuunt, nulloque terrore à peccatis cohibentur, tunc antra & ſpeluncas
Iſa.2. & terræ viſcera petent (vt Prophetæ præ-
Oſeæ 10. nunciauerunt) à facie Dei ſedentis ſuper
Apoc.6. thronum, & ab ira agni; quoniam veniet dies magnus iræ ipſorum, & quis poterit ſtare? Vultus Iudicis terribilis erit malis, & ſententia intolerabilis. Tunc [beatæ prædicabuntur ſteriles] .i. quos mundus velut inutiles æſtimabat, [& ventres qui non genuerunt,] hoc eſt, qui carnis concupiſcentias ſecuti non ſunt, ſed ventris, & gulæ vitia domuerunt, [& vbera quæ non lactauerunt,] hoc eſt, humiles non inflati. Tu Dominum ora ne in die iræ, & extremæ vindictæ, metuas à facie furoris Domini; & dum ſuppetit tempus, Chriſto reconciliare.

Luc.23. Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

CON-

CONSIDERA 1. Christum esse lignum semper virens, oculis delectabile, densis frondibus nimium æstum sua vmbra temperans; fructus proferens tam gustui quàm odoratui gratos; volucrum cantu auditum oblectans; quia & per diuinā naturam, & per internam Spiritus sancti gratiam, tum ipse pulchritudinē omnem excedit, tum creaturas omnes conseruat, fouet, & reficit. Tu porrò lignum es, & quidem aridum, sine succo gratiæ mortuū, sine fructu charitatis sterile, sine frondibus bonorum operum nudum & inutile.

Considera 2. qui nam illi sunt qui in viridi ligno hæc faciunt, hoc est, qui Christo Domino tuo hæc tormenta & mortē intulerunt. 1. Deus Pater, qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. 2. diabolus, qui ministros suos ad hanc Christi necem instigauit. 3. Iudæi & alij istius mortis administri. Sed illi non eodem omnes animo ad Christi passionem adlaborauerunt. Nam Deus Pater amore salutis tuæ in filium sæuiit, & tanquam Abraham gladium iustitiæ in filium, & ignem charitatis in te manu gestans, filio ligna ad incendium

Rom. 8.

Gen. 22.

holocausti feréda humeris imposuit. Dæmon verò de multorũ conuersione dolẽs, & prædicationis cursum impedire voluit; & Iudæos grauissimo crimine necis innoxię obstringere;& Christi patientiam tormentis lædere. Iudęi denique inuidia moti nõ sustinuerũt se Christi verbis & exemplis ad meliora moneri. Considera 3. argumentationem Domini: Si in viridi hæc faciunt, in arido quid fiet? 1. si ego propter aliena patior, quid tu propter tua? 2. si Pater innocentem filium & obtemperantem ita grauiter afflixit, quid facturus est seruulo improbo & contumaci? 3. si dæmones hæc in aliena regione per ministros suos potuerunt in filium Dei; quid poterũt in regione sua in inferno per se in mãcipia diaboli? 4. si permissu Dei, ob hominum peccata, homines improbi sæuierunt in vnigenitũ filium Dei, cui tãdem mirum videbitur à Deo permitti vt homines ab hominibus, ita exigẽtibus peccatis, vexentur? Ora tu Dominum, vt te sibi tanquam viridi ligno inserere dignetur, ne alia à te pœna exigatur, quàm pro te sustinuit ipse.

MEDITATIO XXXIII.

De crucifixione Domini.

Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus: & dederunt ei myrrhatum vinum bibere, cum felle mistum; & cùm gustasset, noluit bibere; erat autem hora tertia. *Luc. 23. Mat. 27. Mar. 15.*

CONSIDERA I. quàm molestus fuerit Domino tuo istius montis ascensus, qualẽ sibi vim intulerit, teneroque & exhausto iam corpori; ne saluti tuæ deesset, sed in monte cælis viciniore, Deo Patri se sistens, holocaustum pro peccatis tuis in odorem suauitatis offerret. Tu conscendentem hunc montem Dominum quàm proxime potes sequere, & in hoc mõte ad mortem vsque subsiste. Considera 2. vt arreptam crucem carnifices aptauerint; loca clauorum terebrauerint; clauos, malleos, funesque præparauerint, Domino tuo suis oculis omnia inspectante. Tu eadem aspice, dole & caue; quia Deo tuo crucem paras, quoties animæ tuæ ad ipsius imaginẽ creatæ, peccatis tuis in inferno locum

facis. Conſidera 3. pro more eorum qui morte afficiuntur poculum Chriſto propinari; ſed aliud lōgè quàm aliis propinari ſolet. Potio mixta erat ex vino, myrrha, felle, & aceto (nam pro vino habet Mattheus ὄξος, acetum) vt nullus omnino ſenſus dolore ſuo aut pœna vacaret. Viſum tam atroces vndique circūfuſi hoſtes turbabant; auditum crudeles eorum voces, improperationes, atque blaſphemiæ torquebant; odoratus fœtorem loci & ſordiū, quæ vultum texerant, hauriebat; tactus toto omnino corpore ſuas pœnas, & grauiſſimas ſuſtinebat; deniq. ne quid deeſſe pœnarum videretur, potione hac amariſſima, ſua guſtui dabatur afflictio. Aequúmne igitur eſſe putas, aliquid te pro Domino tuo moleſtiarum ſuſtinere, qui pro te nihil doloribus intactum in corpore habuit? Chriſtus porrò hanc amaram potionē pro te guſtauit, vt omnium peccatorum tuorum varias acerbitates & amaritudines, ab anima tua in ſuum corpus abſorberet, tibíque maneret vinum merum, nulla amaritudine mixtum, gratia inquam Dei, & pura pacatáque conſcientia. Conſidera 4. [cùm guſtaſſet noluit bibere.] quia

Chriſtus

Christus peccata tua in corpore suo tanquam ore suscepit, attamē animam suam peccati sordibus non infecit; vt tu quoque peccati malitiam, pœnitentiæ amaritudine, quasi degustes, tamen ipsum in animā non transmittas. Considera 5. notari horam huius supplicij, nimirum tertiā, quæ est in æquinoctio spacium ab hora nona matutina ad horam duodecimam meridianam; vt intelligas quantum accelerarint, partim ne Pilatus mentem mutaret, partim vt Christus ante crucis pœnas è vita non excederet. B. Ioannes scripsit mortis sententiam pronunciatam fuisse hora quasi sexta. i. paulò antè meridiem; & Marcus affirmat Christum cruci affixum hora tertia, hoc est, necdum audita duodecima sub meridiem. Perpende igitur, quomodo sit properatum, quàm atrociter raptatus Dominus, funibus tractus, verberibus impulsus. Tu caue ne pedes tui ad malum currant, sed alacriter curre hanc viam Domini, abiectisque impedimentis ad crucem Domini euola, eum roga, vt acerbitatem omnem & difficultatem ab actionibus virtutum amoueat.

Luc. 23. Et ibi crucifixerunt eum.
Ioan. 19. CONSIDERA I. Euangelistas non pluribus verbis rem tantam explicasse, quam & ex consueto crucis supplicio, & ex odio Iudæorum, & ex veteribus prophetarum oraculis vtcunque hoc modo expendere poteris. 1. magna insolentia vestem illi detraxerunt, & vulnera adhærentia renouauerunt, sacrumque corpus cruentarūt, & nudum exhibuerunt. 2. in lignum crucis humi positum petulanter deiecerunt, hoc sibi satis rati, si viuus in crucem ageretur. 3. manum vnam foramini terebrato admouerunt, illi clauum malleo incusserunt, & copiosum sanguinem eduxerunt, iuxta veterem figuram: Percusserunt petram, & fluxerunt aquæ, & torrētes inundauerunt. (Psal. 77.) 4. affixa iam vna manu, apprehensam alteram ad paratum foramen extenderunt, illoque nonnihil distante, magna vi vel funibus, vel manibus attraxerunt; & ea similiter clauo firmato, cùm ad foramina inferiora ventum esset, pari modo sacros pedes ad illa magno conatu perduxerunt, & clauis (vt ait D. Cyprianus) terebrarunt. (Serm. de Pass. Do.) Hanc corporis Dominici extensionem non obscurè Dauid his verbis

bis prædixit: [Sicut aqua effusus sum:] *Psal. 21.*
hoc est, præ nimia passionum enormitate
dilapsus sum, omnibusque viribus destitu-
tus, in modum aquæ effusæ, quæ consistē-
tiam cùm non habeat, facilè diffluit.
[dispersa sunt omnia ossa mea:] hoc est,
dissoluta sunt, & à suis quæque locis di-
uulsa, dissoluente nimirũ compages mem-
brorum, frigiditate, ariditate, & acerbissi-
ma extensione in cruce. [Foderunt ma-
nus meas & pedes meos, dinumeraue-
runt omnia ossa mea.] Tam atrox quip-
pe fuit hæc membrorum extensio, vt ossa
singula ab aliis diuulsa, palàm conspicerē-
tur. 5. arborem crucis hac tam solenni
hostia vestitam, in altum eleuauerũt, ma-
gnoque impetu in fossulam dimiserunt.
Sic enim erectus fuit serpens æneus in de- *Num. 21.*
serto, & hostiæ sacrificiorum, eleuatione *Exod. 29.*
in altum Deo offerri consueuerunt. Tu *Leuit. 23.*
verò in his omnibus expende dolores a-
cerbissimos Domini; aspice crucis vexillũ
attolli; vide decurrētes de manibus & pe-
dibus sanguinis riuos: accurre & hauri
dum fontes scaturiunt, priusquam siccen-
tur venæ eorum. Considera 2. cur hoc
supplicium crucis, nec aliud quoduis ge-
nus

nus mortis ad tuam salutem Dominus elegerit; sed huius causæ sunt multæ. 1. quia nullum hoc erat grauius, diuturnius, ignominiosius, & ad salutem tibi parandam accommodatius: Corpus diuidi noluit, vt Ecclesia, mysticum corpus, integra seruaretur: alio igne noluit cremari quàm charitatis; noluit suffocari vel laqueo, vel aquis, vel terrâ, ne sibi quicquam retinuisse, sed vniuersum sanguinem tibi liberaliter effudisse videretur. 2. vt tanquam hostia in altum sublata, mediatorẽ se inter Patrem cælestem & genus huma-
1 Tim. 2. num interponeret, solus mediator Dei & hominum, reconcilians ima summis. 3. vt dæmones aëris huius principes vel omnino ex aëre ad inferos deturbaret, vel viribus frangeret. 4. vt eminus ipse te oculis quæreret, funiculis sanguinis ad se attraheret, venientem expansis brachiis exciperet, viscera sua exhiberet, in sacris vulneribus reconderet, te sibi vinculis charitatis constringeret; manibus insculptum ob oculos semper haberet, cordi impressum retineret, pedibus perforatis, nihil præter salutem tuam quæreret. 5. vt non amplius humi oculos defigeres, sed eos in altum

tum attolleres; eminus eum aſpiceres; ad eum properares; ab eo ſalutem, & bona omnia peteres; eum ſemper in rebus omnibus cogitares; vitam eius exprimeres; præcepta perficeres. Hic tu proloquere quæ ſpiritus dictabit.

Et crucifixerunt cum eo duos latrones, vnum à dextris & alium à ſiniſtris eius, medium autem Ieſum; & impleta eſt ſcriptura quæ dicit: Et cum iniquis reputatus eſt. *Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19. Iſa. 53.*

CONSIDERA 1. malitiam Iudæorum, qui hac ignominia, Chriſti nomen delere moliebantur, & pro Meſſia latronum proponere principem; ſed Chriſtus hoc eorũ peccato ad ſuam gloriam declarandã, noſtramque ſalutem parandam, & omnes peccatores in ſpem erigendos eſt vſus. Nam 1. cùm tres ſint cruci affixi, & ipſe medius tanquam caput flagitioſorum, ſolus tamen ipſe cum cruce ſua vniuerſo orbi eſt glorioſus. 2. inter duos peccatores moriẽs, omnium peccatorum precia perſoluit. 3. omnibus peccatoribus ſpẽ veniæ dedit, & in poſterum futurum ſignificauit, vt in medio peccatorũ verſaretur, illis præſto ſemper eſſet, inuocãtibus auxilium

lium ferret, & animam agentes non destitueret. Considera 2. quòd inter latrones quã alios peccatores mori maluerit. 1. vt, quia latronis peccatum grauissimum est, quod & Deum lędit, cuius imaginem tollit, & proximum, quem cum vita priuat omnibus rebus, significaret nullũ esse tam graue flagitium, quod non hac sua morte expiaret, neque tam flagitiosum hominẽ, cui non offerret peccatorum condonationem. 2. quia omnis peccator est fur & latro, qui peccato interficit animam suam, & Deo surripit honorem, & creaturas inquinat, & Ecclesiam viuo membro priuat, seipso nimirum, cui spiritualem adimit vitam. Considera 3. bonum latronem non minus quàm malum, cum Christo pœnas crucis mortemque sustinere, sed illũ hoc supplicium ad salutem conuertisse; hunc, ad animæ suæ detrimentũ, vt discas Christum adesse afflictis omnibus, seu malis, seu bonis, ideoque infligere pœnas, vt omnes ad mẽtem redeant, atq. ad ipsum oculos animumque conuertãt. Tu igitur roga Dominum, vt in tribulationibus de solo diuino auxilio cogites, de aliis minus sis sollicitus.

MEDI-

MEDITATIO XXXIIII.

De titulo Crucis.

Scripſit autem & titulum cauſæ eius Pilatus, & poſuit ſuper crucem eius: eratq́; ſuper caput eius ſuperſcriptio; & erat ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè. *Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.*

CONSIDERA I. Pilatum fixiſſe titulum cauſæ mortis, vſumq́ue ſequentibus verbis. Primò quidẽ, vt Dominus tuus, tãquam læſæ Maieſtatis reus, qui ſibi regium arrogaſſet honorem, hoc ſupplicio dignus eſſe videatur, & Pilatus immunis eſſet apud Cæſarẽ à crimine, quo regni æmulũ nõ damnaſſet. Secũdò verò, vt Iudæos vlciſceretur, qui ipſi dilationem comminati fuerant. Ridet enim ſe eorum Regẽ cruci affixiſſe, & eum quidem Regem, quem tot ſæculis maiores prædixerant, & tanto affectu deſiderauerant. Et hę quidem cauſę Pilato materiam tituli præbuerunt. Ipſe verò Chriſtus Dominus eundem ſibi titulum ſtatui voluit, ſed aliis omninò de cauſis, ex myſterio ſalutis noſtræ deſumptis. I. vt intelligas hoc crucis ſupplicium pertuliſſe,

tuliſſe, non vt noxium, ſed ſaluatorē omni virtute ornatum, vt ipſe animam tuam regat, eiq́. tu Regi, qui manibus pedibuſque fixus, dilectis ſuis nocere non poteſt, ſed omnem ſalutem ex aperto corpore offert, totum te committas regendum. 2. vt quæ merces in hac crucis officina tibi venum exponātur ſcias. Solent enim domus & officinæ ſua habere inſignia. Hic igitur inuenies omnem ſalutem in Ieſu, omnes flores virtutum in Nazareno, omnem in Rege ſecuritatem. Tu huc accurre in neceſſitatibus omnibus tuis, & eme gratis ſi-
Iſa. 55. ne argento vlláve cōmutatione; quia præter præſentiam tuam, & amorem tuum, nihilà te requirit iſte mercator. 3. vt quæ diſciplinæ, quæve artes in hac ſchola prælegantur atque tradātur, ex tabula domui præfixa cognoſcas. Solent enim Ludimagiſtri quid domi ſuæ tradant, valuis præfigere. Hic igitur diſcis ſaluari, virtutes omnes ſectari, teipſum regere, hoſtes tuos profligare, alios tibi commiſſos ex officio moderari. Magiſter Chriſtus de Cathedra crucis nunc docet, ſicut docuit infans in ſtabuli præſepio. Tu fortè vis cathedram molliorem? Sed tales diſciplinæ, nō niſi de

tali cathedra prelegũtur, quia ad salutem, nisi per crucem & multas tribulationes non peruenitur; virtutũ habitus per molestas actiones comparantur. Teipsum si regere perfectè voles, & salutis tuæ hostes, concupiscentiam, mundum, & diabolum prosternere; nõ sectaberis commoda corporis, sed in corpus ipsum sæuies, illudque ieiuniis, vigiliis, humilitatis officiis, contemptu, aliisque molestiis, huius magistri exemplo, mundi & dæmonis eripies potestati. Alios demùm nõ satis vtiliter reges, si solo imperio, & authoritate nitaris, nisi ex hac Christi doctoris lectione te totum, tuaque omnia, ex visceribus charitatis, in vtilitatem effundas subditorum. 4. vt ex hoc titulo discas, quam vim habeat, quòd manibus formas signum crucis. Non est enim prestigiatorum alligatio, vel muscarum flabellum, vti blasphemantes hostes crucis irridere consueuerunt; sed est virtus Christi, in salutem omni credenti; vt eo tu consignatus, hisce insignibus agnoscaris seruus Messiæ Regis; diabolo sis terrori; aditum habeas ad familiam Christi; omniaque ad Dei gloriam, tuamque salutem tibi cedant. Considera 2. variis linguis

hunc titulum ſcribi. 1. quia omniũ hominum intereſt hunc regem agnoſcere; ideoque in edito loco conſtituitur, vt eminus videas, ſubſiſtas, legas, intelligas, Regemque hunc ſequaris, dimiſſis omnibus aliis dominis, qui tibi hactenus imperarunt. 2. quia omnibus linguis agnoſcendus eſt atque laudandus Meſſias crucifixus. Conſidera 3. modum ſcripturæ. Tituli huius pars Romę in eccleſia Sanctę Crucis in Hieruſalem magna Chriſtianorum deuotione aſſeruata indicat 1. ligneũ fuiſſe titulum. 2. non calamo ſcriptum, ſed ferro ſculptum. 3. ordine præcedere Hebræa, tum Græca, demum Latina. 4. Græcam & Latinam ſcripturam imitari Hebraicam à dextra ad læuam,

ƧVИƎЯAƧAИ ·ƎI·

quæ ſuis myſteriis nõ vacãt. Nã primò tres iſtæ linguæ ſolæ cruci affixæ ſunt, quæ cõmunes & tũc erãt, & nunc ferè ſunt: Hebraica Iudæis, Græca Eccleſiæ Oriẽtali, & Latina Occidentali. Cùm enim his linguis omnia ſcientiarũ genera cõſcripta ſint, ſacra Hebræorum, Philoſophica & Rhetorica Græcorum & Latinorũ; voluit Chriſtus docere, neque ſapientiam cæleſtem, neque

neque ſcientiam humanã, neque eloquentiam vllam valere, niſi conſecrentur ſanguine Chriſti, & ad crucifixi gloriam referantur. Ideoque Eccleſia his ſolis linguis in diuinis officiis vtitur quotidie, tãquam communibus, & cruce Dominica conſecratis. 2. ſculptus eſt titulus, quia nullo vnquam tempore delendus: & quidem in ligno, quia per lignum perpetuo regnaturus eſt in eos quos lignum perdiderat. 3. Hebræa eſt ordine prima, quam cæteræ imitãtur, quia ſalus ex Iudæis eſt, ad quorum diuinas literas collimanda eſt omnis ſapientia humana. 4. à dextra in ſiniſtram ſcripta ſunt, vt ſi per ſapientiam exaltari cum Chriſto velis, demittas te, neq. altum ſapias. Scientia quippe inflat, & eſt ſine Chriſto ſapientia terrena, animalis, diabolica. 5. Græca præcedit Latinam, quia primùm Græci, deinde Latini ad fidẽ conuerſi, relictis moribus patriis, eam ſunt doctrinam ſecuti, quam Deus Hebraicis literis populo Iudæorum tradidit; vt tu ne innitaris prudentiæ tuæ, ſed eos ex animo ſequaris, quos Deo coniunctiores nouiſti. Roga Dominum, vt hunc titulum inſculpat cordi tuo.

1 Cor. 8. Iac. 3.

Ioan. 19. Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.

CONSIDERA I. & expende singula tituli verba. [Iesus] Saluator, quod nomen cùm primo sanguinem suum pro te effunderet Dominus accepit. Tunc enim auspicatus salutem tuam, dedit in arrhabonem portionem sanguinis, quem postea vniuersum erat daturus. Ipse tũc à te recepit circuncisionẽ, quod erat signum peccatoris (sicut auribus truncatum esse est signũ furis) vt Pater æternus te peccatore prætermisso, sæuiret in Filium. Hoc porrò nomen hactenus obscurum & vix vnquam honorificè pronunciatum, iam cruci affixum eam gloriam consecutum est, vt in Philip. 2 nomine Iesu omne genu flectatur. [Nazarenus.] non Bethlemita, licet natus in Bethleem. 1. quia plus miraculi & beneficij fuit in conceptione, & incarnatione Filij Dei facta in Nazareth, quàm in natiuitate in Bethleem. 2. quia Nazarenus floridum significat; & Christus est Flos odoriferus in cruce pendens, qui nobis salutarem reddet fructum gratiæ & gloriæ. [Rex.] qui de hoc throno diademate redimitus, sanguine ceu purpura vestitus, regnat erectus & pedibus fixus, ad auxilium tuum

tuum paratus; manibus perforatis, vt dona non ſibi retineat, ſed tibi effundat; expanſis vlnis, vt te venientē excipiat. Non ſcripſit porrò, Pontifex aut Sacerdos, licet hic ſacerdotio fungeretur, ſed Rex; tum quia ſemel per ſe cruentum ſacrificium immolauit, quo conſummauit in æternum ſanctificatos, regnat autē in ſæcula ſæculorum; tum quia regnum eſt ſacerdotale; & ſacerdotium regale, vbi Chriſtus Deus Rex eſt, omnia poteſtate concedens; Chriſtus homo ſacerdos omnia ſacrificio impetrans. *Heb.10.* *Exod.19.* *1 Pet. 2.*

[Iudæorum.] primò miſſus non Gentibus ſed Iudæis: Non enim ſum miſſus (ait Dominus) niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël; & Gentes ſuper miſericordia honorant Deum; vt gratias agas ereptum Iudæis Meſſiam, & tibi oblatum; & te Iudæum non carnali quidem proſapia, ſed ſpiritali vitiorum circumciſione, & vera peccatorum tuorum confeſſione, Deíque laude ſemper exhibeas. Conſidera 2. veram crucis cauſam, vt te ſaluaret, virtutibus ornaret, ſuauiter regeret. Roga Dominum, ne quem alium præter ſe tibi dominari patiatur. *Mat.15.* *Rom. 15.*

Ioan. 19. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope ciuitatem erat locus vbi crucifixus eſt Ieſus. Dicebant ergo Pilato Pontifices: Noli ſcribere, Rex Iudæorum, ſed quia dixit Rex ſum Iudæorum. Reſpondit Pilatus, Quod ſcripſi, ſcripſi.

CONSIDERA I. multos Iudæorum ſacra hęc verba vidiſſe, legiſſe, nō intellexiſſe, ideo riſiſſe: vt diſcas, 1. non niſi ab illis rideri diuina, ſacras Eccleſiæ ceremonias, doctrinam & vitam ſanctorum, qui nō intelligunt; & quia ſcriptum eſt, ipſe deludet illuſores; &, ego quoque in interitu veſtro ridebo; tu ab iſtiuſmodi blaſphemis irriſionibus caueas. 2. quia ſummo honore colendum erat Ieſu nomen, & hic titulus per orbem vniuerſum celebrandus, adeoque crux ipſa Regum frontibus imprimēda, idcirco ridenda primùm fuit, & conuitiis afficienda. ſicut enim vas æneū tunc maximè nitet & ſplendet, quando prius luto & argilla defœdatum eſt, & perfricatum; ſic ille maiori gloria fulgebit, qui plus ignominiæ & moleſtiarū pro Chriſto ſuſceperit. Ne itaque doloribus ſuccūbas, animumque demittas, quibus tantam

Prou. 1.

tibi

tibi gloriam partum iri confidis. Considera 2. Christum non procul à ciuitate subiisse crucem: licet enim ab incolis ciuitatis & mundi huius eiiciatur; quia tamen ipsi proprium est, misereri semper & parcere, longius non discedit, sed manet propius & ianuam cordis continuò pulsat, si fortè admittatur. Considera 3. impios nec nomen ferre regni Christi; quia ingrata est crux Christi peccatoribus, qui malũt Regem mollem, quàm cruci affixum. Hæc fuit causa cur (teste Damasceno) Christum crucifixerint facie à ciuitate auersa, atque ad Gentiles conuersa; ne vllo vnquã tempore vel ipsi vel eorum posteri hunc Messiam reciperent. Agas tu gratias Christo tuo, quòd Gẽtilem populũ de cruce aspexerit, de te cogitarit, te ad sui notitiam adduxerit. Ora ne vnquam à te auertat oculos suos. Considera 4. responsum Pilati. Ipse quidem titulum fixerat, sed nutu diuino. Non debebat igitur refigi, quod fixerat Deus: stabit enim gloria crucis, & regnum Christi, quod est Ecclesia, etiam si tu cum Iudæis desciscas. Nam tu quidem si Regem hunc cum suo regno recuses, assumetur alius qui accipiat coronam tuam.

Lib. 4. Orth. fide cap. 13.

Memento ſacri vnguenti & olei conſecrati, quo tibi titulus, & ſignum crucis in Sacramento Baptiſmi & Cõfirmationis eſt impreſſum, vt firmiter tibi inhæreant inſignia Chriſti (ſicut oleum penetrat, nec citò diluitur) & quod ſemel animæ tuæ diuinis manibus eſt inſcriptum, id ſcriptum maneat. Roga igitur Dominum, vt nomen ſuum nouum, & ciuitatis ſuæ ſanctæ, tibi inſcribat, & te quoque ſcribat in libro vitæ æternæ.

Apoc. 3.

MEDITATIO XXXV.

De primo verbo Chriſti.

Luc. 23. Ieſus autem dicebat.

CONSIDERA I. quid Dominus tuus in tantis crucis pœnis egerit, dixerit, cogitauerit, quando in extremis illis tormẽtis, nullam vel foris apud homines, vel intus in anima, vidit conſolationem. Corpus ſi mouebat, affligebant vulnera clauorum; ſi caput, infigebantur ſpinæ, grauiuſque pũgebant; ſi quietus conſiſtebat, intolerabilis erat cruciatus, totiuſque defatigatio corporis. Hæc tu in laboribus moleſtiiſq. pro Domino tuo ſuſtinendis expende. Nulli impre-

imprecatus eſt, tam variis tamen conuitiis appetitus. Sed quia ex abundantia cordis os loquitur, etiam in cruce ſermones eius ad tuam vtilitatem & ſalutem dirigebantur; indicâtque certiſſimè, quòd apud Patrem, etiam tum cùm vocem nullam, impeditus anguſtiis emittebat, pro te indeſinenter interpellabat. Conſidera 2. voces cygneas, & nota extrema illa Domini tui, quibus te in mortis ſuæ anguſtiis eſt allocutus, verba. Sicut enim ſerpẽtis vox de arbore ſcientiæ boni & mali, ſibilando venenum peccati inſtillauit; ita poſtremæ voces Chriſti de arbore crucis, efficaces fuerunt ad noſtram ſalutem, & vehementer ignitæ, à ſumma profectæ charitate. Loquebatur autem cum clamore valido & *Heb. 5.* lachrymis, maximo affectu, maximiſque ſuſpiriis, paucis quidem verbis, ſed copioſis lachrymis, ſanguine de capite defluente mixtis; lachrymę rigabant orationem, ſanguis exornabat, clamor aures Patris penetrabat, ſuſpiria cor commouebant. Et tu igitur eas voces admitte, expende diligenter, earumque fructum collige. His enim ſeptem verbis ſanctificata ſunt ſeptem Sacramentorum verba & formæ; impetrata

 ſunt

ſunt ſeptem Spiritus ſancti dona, depulſa ſunt ſeptem capitalia vitia. Conſidera 3. [Ieſus autem dicebat.] 1. Iudæis crucifigendo, torquendo, irridendo occupatis, Ieſus tanquam nihil horũ aduerteret, imò vt bonum pro malo redderet, dicebat.
2. is qui hactenus in cauſa propria, cum omniũ admiratione tacuit, & niſi adiuratus vix vt loqueretur adduci potuit; & à defenſione ſui iuſtiſſima abſtinuit; nũc in tantis tormentis non ſilet in tua iniuſtiſſima cauſa; non rogatus rogat, & efficaciſſimis rogat verbis. Ieſus dicebat. Quis? Filius Dei. Cui? Deo Patri. Vbi? in arbore crucis. Quando? vicinus morti, viribus exhauſtis. Quomodo? non ſedens, non commodè iacens, ſed erectus in pedes, mani-
Exod. 17. bus, vt olim Moyſes, eleuatis atq. expãſis, ſanguine madens. Pro quibus? pro peccatoribus de ſua ſalute nihil ſollicitis: prius enim pro malis oratur à Chriſto, eiuſque amicis, quàm pro ſe mali ipſimet Deum precentur. Quid? petit miſericordiam, pre-
Heb. 5. ces ſupplicationeſque offerens, à crudeli hac Iudæorum ſententia: [Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros,] ad meliorem ſentẽtiam miſericordiæ plenam appel-

appellans, & immitem sentẽtiam rescindi postulans. Coram quibus? palàm audientibus hostibus, vt mansuetudinem discerent; & matre atque amicis, tum vt testes huius essent condonationis, tũ vt ipsi nunquam istius peccati vindictam peterent. O excellentem orationem, magni exempli, summi meriti, plenam laboris, charitatis, misericordiæ, & pietatis! Fidas igitur Christo, eumque roga, vt qui prius in gratiam peccatorum quàm pro matre locutus, testatum reliquit, quanti peccatorum salutem fecerit, tui peccatoris nunc in cælis curam nunquam deponat.

Pater dimitte illis.

In singulis verbis hæreas. [Pater] non dicit Domine, quod est seueritatis & iustitiæ nomen, sed Pater, quod est nomen misericordiæ, & noui testamenti, hoc loco sanguine, & meritis Christi nobis datum, vt sicut ipse frater noster esse voluit, sic cõmunem Patrem haberemus in cælis. Ait ergo ô Pater, agnosce me Filium; Pater filio nihil recusat; ideò in hunc mundũ veni, vt hos inimicos tuos pro filiis habeas. Tu igitur pro his me exaudi deprecãtem. Nam sicut in posterum à sacerdotibus in Luc. 23.

Ecclesia efficax erit oratio, quæ his verbis cõcludetur in nomine meo, Per Christum Dominum nostrum; ita ego te Patrẽ compellans, nunc rogo per me Filium tuum vnigenitum. Itaque quàm charum habes me Filium, ita me nunc orantem suscipe. Quia enim hanc crucem ascendi, & has suscepi plagas, vt his à te veniã impetrarem, si Filij preces abiicias, si Filium non exaudias, grauius mihi inferes suppliciũ, quàm sit crux ipsa, quam ideò sustineo, vt grauius malum tollerem, hoc est, vt iram tuam ab istis auerterem. Parce igitur doloribus Filij, vt ne frustra suscepti videantur. Tu mercedem aliorum laboribus reddis. Hanc ego obedientiæ, meorumque laborum mercedem peto solam, vt veniam istis cõcedas. [Dimitte,] fungitur hic officio sacerdotis Dominus: orat enim pro populi peccatis, & clamat non solùm vt sacerdos, sed vt hostia, quæ non gratuitam condonationem petit, verùm etiam offert satisfactionem. Clamant igitur vulnera, clamat sanguis, clamant sputa, dolores, & quidquid in singulis est membris, [dimitte;] hæc mala pro peccatis istorum suscipe, nos reddimus quidquid isti debent;

Heb. 5.

san-

ſanguinem damus in precium, dolores in lytrum, vitam in ſatisfactionem, corpus & animam in ſacrificium. Sit igitur apud te miſericordia, quia hæc eſt copioſa redemptio. Res quidem ardua petitur, nempe à Patre amneſtia mortis vnigeniti Filij, & tanti talisque Filij; ſed petit Filius, & petit ſanguine ſuo. 2. non petit ſub conditione, ſicut pro ſe orauerat in horto, ſi poſſibile eſt, ſi vis, ſi fieri poteſt; ſed abſolutè, [dimitte,] tum vt diſcas, peccatorum remiſſionem, & diuinam gratiam, ſine conditione à Deo petendam eſſe, quia nunquam niſi ad Dei honorẽ refertur; tum vt tu proximis delicta in te cõmiſſa ſine conditione gratis remittas. 3. petit dimitti ſtatim, non differri remiſſionem poſt mortem. Noluit enim ex hac vita migrare, niſi pace cum Deo compoſita. Et quidem parentes morituri non rarò filiis exiguas opes relinquũt, eaſque multis difficultatibus, oneribus, debitis, & litibus implicatas: Chriſtus porrò ante mortem ſanguine ſuo debita omnia ſoluit; difficultates & onera ſuſtulit; pacemque cum Patre conciliauit. Ait igitur, Dimitte Pater, & quidẽ ſtatim, quia venit tẽpus miſerendi eius, quia venit tempus

Pſal. 129

Pſal. 101

tempus, nimirum hora sacrificij, dies satisfactionis, tempus remissionis, tempus extremum vitæ meę, quo iam iam expiraturus, vltimam petitionem propono, & hoc vnicum rogo, Pater, dimitte illis. 4. non ait, dimitte peccata iam commissa, sed tantum [dimitte.] etiã illa quæ postea in me patraturi sunt mala, irrisiones, blasphemias, amaritudinem aceti, necem meam, lateris mei vulnus: vt tu inimicis tuis & citò remittas, & omnia, nullumque serues corde rancorem. 5. Non dixit, ego remitto, tum quia non tam de suis pœnis, quàm de Patris offensa doluit, tum quia intentus in bona quæ hac passione in vniuersum orbem redundarent, peccata Iudæorum in se commissa, potius beneficij, quàm maleficij loco visus est habere. Sicut homo qui sub costa graue vlcus gestat, si ab aduersario necem eius moliẽte vulnus accipiat, quo vlcus aperiatur, & sanies effundatur, gaudebit de vulnere quod sanitatem attulit. Tam amans fuit Dominus salutis tuę, vt gaudens hoc malum tulerit, quo tibi tantum bonum eueniret. [illis.] Nota 1. non ait, iniquis, crucifixoribus, carnificibus istis, aduersariis & inimicis meis;

meis; tum vt tu ab omni conuitio abstineas; tum quia neminem Dominus tuus reputat inimicum, qui omnibus precium mortis suæ, & salutem offert; & hos ipsos Iudæos carnifices suos, tametsi nō propter opera ipsorum mala, attamen propter pa- *Rom. 11.* tres eorum, viros sanctos & iustos, habebat charissimos; itaque de plagis suis loquens, [His, ait, plagatus sum in domo *Zach. 13.* eorum qui diligebant me,] non quidem ab his qui diligunt me, sed à filiis eorũ qui diligebant me; vt vel propter sanctos parentes filiis benefiat. 2. [illis,] in numero plurali, non his modò qui nũc in mortem meam conspirarunt, sed illis præterea omnibus, qui peccatis suis vllo vnquam tempore huic meæ passioni causam dederint. Non enim tu ab hac oratione excluderis, cuius peccata hãc Domino mortem intulerunt; daturque tibi spes remissionis, præsertim si preces tuas cum hac Christi oratione coniungas. Si enim illis non petentibus oratio Christi profuit, tibi vtique proderit petenti, & cum Christo oranti.

Quia nesciunt quid faciunt.

CONSIDERA 1. Christum cui iudiciũ *Luc. 23.* omne datum est, & quẽ lęsit pars aduersa,

non

non iudicis tamen & accuſatoris, ſed defenſoris ac patroni partes ſuſcepiſſe. Iudæi quæſierant quid accuſarent, & nihil accuſatione inuenerunt dignum. Innocens læſus quærit quid excuſet, tantaque fuit huius peccati malitia, vt præter ignorationē nihil ad illud extenuandum afferri poſſet. Et ignorantia tamen iſta quæ voluntaria erat, non magis Iudæos excuſare debuit, quàm excuſaret eum qui ſciens prudens oculos ſuos velaret, ne quem lædit, aut occidit, quiſnā ſit cerneret. Si porrò Chriſtus in ipſis tormentis tortorum eleuat peccata, nonne modò in cælis eorum peccata apud Patrem excuſabit, qui fide & deuotione, doloreque peccatorum inuocant nomen eius? Conſidera 2. Nihil quidem verbo Patrem reſpōdiſſe Filio, exau-
Heb. 5. ditum tamen eſſe Chriſtum pro ſua reuerentia. Siquidem Deus negaturus Filio reſpondit in horto per Angelum; conceſſurus reſpondit non verbo ſed facto. Nam 1. cohibuit creaturas omnes, ne in vltionem huius mortis in hoſtes inſurgerent, quæ pugnaſſent pro Creatore ſuo, niſi hæc Chriſti obſtitiſſet oratio. 2. latronem alterum ad pœnitentiam induxit. 3. moriente
Domino

Domino Centurionis & aliorum animos immutauit. 4. in solennitate Pentecostes, nunc tria, nunc quinque hominum milia ex his ipsis ad fidem cõuertit. Igitur Deus Pater non externa voce, sed interno ascensu, in hunc modum Filio respondit: Concedo quod petis Fili, depositaque ira, fontes aperio misericordiæ; offeroque gratiã, peccatorum condonationem, iustitiam, & filiorum adoptionem, tam his qui in te sęuierunt, quàm aliis omnibus vbique terrarum, & omnium sęculorum peccatoribus, dummodo misericordiam admittant oblatã. Siquidem inuitum adigere nolo, sed potestatem facio omnibus, vt & mecũ in gratiam si velint redeant, & filij Dei fiant, & hæreditatem meam in cælis adeãt, modo fide & sacramentis passionis huius tuæ merita ferãt. Tu hic magno affectu inclama: Magnæ sunt misericordiæ tuæ, gratias igitur tibi agimus Domino Deo nostro. Oraque, vt donũ tibi largiatur sapientię, quo Dei bonitatem noris & admireris, & depulsa inuidia, det virtutẽ charitatis, qua magno in proximos amore feraris.

MEDITATIO XXXVI.

De diuisione vestium.

Ioan.19. Milites ergo cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum.

CONSIDERA 1. Christi Domini tui paupertatem: non habebat vestes mutatorias, & duplices; non byssinas & nobiles, sed pauculas & viles ad frigus pellendum, & tegendam nuditatem. Et quidem tunicam inconsutilem habet traditio
In Mat. 27. (vt ait Euthymius) fuisse opus Matris Dei, quæ filio adhuc infantulo hāc vestem suis manibus contexuerat, quæ non nisi miraculo & crescēte Domino crescebat, & tam diuturno vsu non terebatur, quod olim
Deut.29. in deserto filiis Israël euenisse Scriptura commemorat, vt intelligas tibi omnē curiositatem & superfluitatem tam in vestitu quam aliis in rebus exemplo Domini tui deponendam. Considera 2. liberalitatem sponsi tui: corpus dederat, sanguinem

nem effuderat, iuuenilem ætatẽ tibi consecrauerat; nunc externa bona, hoc eſt, veſtes pauculas donat, nihil ſibi præter clauos, ſpinas, ſputa & concretum corpori cruorem in bonis ſeruãs. En diuitias ſponſi tui, qui nõ habet vbi caput reclinet, niſi in ſpinoſo ceruicali coronæ. Tu eum roga vbi paſcat, vbi cubet in meridie, in hoc æſtu charitatis ſuæ; & in magnis opibus pone hanc ignominioſam crucis paupertatem, nuduſque ad nudum Chriſtum propera. Mar. 8. Cantic. 1.
Conſidera 3. irriſionem militum in hac veſtimentorum tum diuiſione, tum ſortitione. portionem ſibi aliquam ſinguli capiebant, tanquam Regis Iudæorum ornatum. Tu quoque accurrens vel fimbriã collige veſtimentorum eius, hoc eſt, quidquid Chriſti paſſionem quoquo modo attingit, in precio habe, vt ſunt Sacramenta eius, verba eius, Eccleſia eius, iuſtificationes eius. Conſidera 4. quatuor Chriſti tortores in quatuor partes ſecuiſſe veſtem, vt quatuor Euangeliſtæ, per quatuor orbis partes tunicam Domini conſuerent, quibus tu eſto auxilio, piaque vita & doctrina Eccleſiam variis hæreſibus diſſectam, coniunge: tuiſq. veſtibus Chriſti pauperes

tege, rogaq́ue Dominum, vt qui nunc a-
Psal. 103. mictus eſt lumine, ſicut veſtimento, gratiæ
ſuæ lumine veſtiat nuditatem tuam, ani-
mamq́ue miſeratus exornet.

Ioan. 19. Dixerunt ergo ad inuicem: Nō ſcinda-
Mat. 27. mus eam, ſed ſortiamur de illa cuius
Pſal. 21. ſit, vt ſcriptura adimpleretur, dicens:
Luc. 23. Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, &
Mar. 15. in veſtem meam miſerunt ſortem.
Diuidentes ergo veſtimenta, ſortes
miſerūt ſuper eis quis quid tolleret.

CONSIDERA 1. militum conſultatio-
nem de veſtium diuiſione & ſortitione.
Bonum eſt conſilium, [non ſcindamus
eam;] impium autem [ſortiamur de illa
cuius ſit.] Diſcis 1. Deum etiam malo-
rum conſiliis adeſſe, vt malitiam cohibeat,
2. Reg. 17 ſicut infatuauit conſilium Achitophel.
2. Fructū orationis Domini hic iam ap-
parere, cùm veſtis inconſutilis permanſit
integra; quo deſignatur, nulla vnquā ho-
minum malitia diuidendā Eccleſiam, ſed
ea vſque ad ſæculi finē in vnitate fidei, ſub
vno viſibili capite integra perſeuerabit;
Mat. 16. ſed nec portę inferi prępualebunt aduerſus
eam. vt enim diuidantur externa Domini
veſti-

vestimenta, hoc est, aliæ hominum socie-
tates variis institutis, opinionibus & riti-
bus distinguantur, tunica tamen inconsu-
tilis carnem Domini proximè attingens,
nempe Ecclesia Catholica desuper conte-
xta per totum, per vniuersum orbem dif-
fusa, & singulis membris inter se pulchrè
distinctis officiis, in communione Sancto-
rum cohærentibus, quasi diuersis filis in-
tertexta, integritatem suam non perdet.
Decident quidẽ ab ea veluti festucæ quæ-
dam leues: sicut arida folia de arboribus,
sed illis purgabitur, non violabitur tunica
Domini. Cauendũ tibi, ab hac inconsutili
Christi tunica ne excidas, sed illam tan-
quam textura nobilis exornes: & quia in
virginis Matris vtero texi cœpit hæc tuni-
ca (hic enim sibi Filius Dei humanam na-
turam coniunxit, sibique Ecclesiam de-
sponsauit) tu illam matri eidem commen-
da, cuius precibus & auxilio perseueret in-
tacta & incorrupta. Considera 2. duas
militum sortitiones. 1. de partibus vesti-
mentorum, 2. de tunica inconsutili. Si-
gnificatur 1. & Christum ipsum, & omnia
quæ Christum attingebant, malorum irri-
sioni & voluntati exposita fuisse. 2. im-
 probos

probos homines & Christi tunicam, hoc est, animarum curam, & vestimentorum partes, hoc est, externæ Ecclesię bona, non dignè, sed sortitione accipere, & aliis artibus, quàm pro voluntate Domini possessoris occupare. Illi enim nihil minus quàm de crucifixo cogitantes, ipso vidente atque tacente crucifixi bona diripiunt. 3. ex

Lib. 10. in Luc. cap. 23.

D. Ambrosio vestium Domini partes, hoc est, eius diuersas gratias & dona, sorte, hoc est, occulto Dei consilio, non nostra electione, cuiquã diuidi, Tunicam verò, nempe fidem, singulis integram dari. Tu si fortè clericus es, in sortem Domini vocatus, collige sub cruce Domini partem hæreditatis eius tibi datam: caue à pluribus partibus & beneficiis; & quam accepisti sortem coram crucifixo vtere: ipse enim inspectat, & quomodo sua bona administres, obseruat. Considera 3. de hac vestium sorte olim prædixisse prophetas, vt discas 1. rem maximi momenti in hac sortitione fuisse, quam nimirum ante tot sæcula viri sancti adeoque reges pręuidentes deplorauerunt. 2. quibus de rebus veteres prophetæ & sancti, etiam ante Messiæ aduentum, suas instituerint meditationes,

tiones, nempe de paupertate, nuditate, & opprobriis Domini, vt tu similibus cogitationibus occuperis, & ad compassionem ac imitationem exciteris. Considera 4. has Domini vestes & sacras reliquias impiorum custodiæ esse permissas. vt discas 1. non omnes qui sacra contrectant, sanctos esse Deoque gratos. 2. omnibus in hac vita offerri sanctitatem. Tu Deum roga, vt de sanctitate sua aliquid tibi communicet, quod à te nunquam auferri patiatur.

Et milites quidem hæc fecerunt: & sedentes seruabant eum, & stabat populus spectans. *Ioan. 19. Mat. 27. Luc. 23.*

CONSIDERA 1. [& milites quidem hæc fecerunt,] quasi diceret, Christo in tormentis crucis orante; matre eius doloris gladium patiente, amicis eminus flentibus, milites hæc fecerunt. Dum persecutiones sustinet Ecclesia, dum pauperes fame intereunt, dum patitur iustus, ludunt impij, aleas & sortes tractant, ociantur, nec est qui patiatur super contritione Ioseph. *Amos 6.* Et tu quid agis patiente Christo & Ecclesia? Considera 2. Christum accuratiùs quàm latrones seruari, ne vel à discipulis,

vel ab aliis supplicio eriperetur. Sed vt tũc fuit, ita & modo est minor Catholicorum feruor, quàm vt se pro Christi nomine periculis exponant. Tu Christum summa cura in corde tuo custodi, & gratiam eius conserua. Considera 3. quòd populus steterit spectans (sic enim legendum est pro expectans) alij irridentes, alij singula contemplãtes. Tu accedes, & erectus in pedes, ad omnem Dei voluntatem & nutũ paratus, spectabis, & fixum cruci respicies fixus, omnia membra, omnes dolores, omnia opprobria non leuiter percurres, sed constanti intueberis obtutu, nec in externa forma subsistes, sed ad ea quæ interius latent penetrabis. Sub istis namque vulneribus, sputis, spinis, latet manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Esto igitur ante hanc crucis mensam, sicut catellus ante mensam domini sui expectãs; gestusque accumbentis obseruans, & quicquid de mensa proiectum fuerit arripiẽs. Ne populum imiteris, Christum quidem curiosè spectantem, solaque illectum vanitate templa adeuntem, sed oscitanter interea sacra audientem. Ipsam potius virginem matrem imitare, quam nullum ef-
fugie-

fugiebat verbum,quod non ſeruaret conferens in corde ſuo. Rogaq́ue Dominum, vt de cruce tibi dona ſua largiter proiiciat. *Luc. 2.*

MEDITATIO XXXVII.

De irriſione in cruce.

Prætereuntes autẽ blaſphemabãt eum, mouentes capita ſua,& dicentes: Vah qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas illud: Saluum fac temetipſum. Si Filius Dei es, deſcende de cruce. *Mat. 27. Mar. 15.*

CONSIDERA 1. à quatuor hominum generibus Chriſto Domino in cruce illuſum fuiſſe, à prætereuntibus, à ſacerdotibus & ſenioribus,à militibus,à latronibus, hoc eſt,ab omni hominum genere;Iudæis & Gentilibus;Sacerdotibus & laicis;Senatu & populo; Iuſtitiæ miniſtris, & iuſtitia damnatis. Omnibus nãque peccatis Chriſtũ ridemus, cuius & promiſſa ſpernimus, & minas contemnimus,& beneficia recuſamus,& mandata tranſgredimur,&conſilia negligimus. Conſidera 2. quid in-

tersit inter vocem Christi & voces Iudeorum; Saluatoris & mundi. Ille sollicitus cum lachrymis orat, isti securi cum sannis irrident orantem. Impiorum enim cõsuetudo est, ridere omnia, eaque de causa in
Prou. 1. Scriptura irrisores vocantur; quibus vicissim Deus irrisionem minatur, quando eis id quod timebant, aduenerit. Compatiaris hic sponso animæ tuæ, qui extrema mortis hora, nihil solatij à quoquam accepit, sed irrisiones, à quibus tunc maximè abstinendum erat, quando tam seria res agebatur, morte nimirum in tormentis instante. Considera 3. quòd blasphement [prætereuntes,] παραπορευόμενοι, quod etiã verti potest, ambulantes, vt vel ab iter faciẽtibus irrideri dicatur, vel ab his qui pone crucem obambulantes hærebant, taliq. deambulatione cõuitia iaciebant. Hic autem inconstantes & leues homines significantur, qui perfunctoriè diuina tractant, obiter preces percurrunt, vagis oculis animisque in templis, concionibus, diuinis rebus versantur, & quorum mens non in vno Deo conquiescit, sed ad varia mundi oblectamenta & commoda vagabunda discurrit. Considera 4. quid fecerint isti.
1. transi-

1. transibant irreuerenter. 2. mouebant capita. 3. his ipsis gestibus blasphemabant. Significabant enim omni contumelia dignum, de medio auferendum, eiusq. doctrinam, & vitam ludibrio exponēdam. 4. Isaias duo alia irrisionum genera iuxta D. Hieronymi explicationem prædixit: Super quem lusistis? super quem dilatastis os, & eiecistis linguam? Aperto igitur ore & erecta lingua conuitia faciebant. Denique vt Principibus de editiore loco spectantibus ludi varij exhiberi consueuerunt in theatris; ita huic Regi Iudæorum varia illusionū spectacula ab his scenicis actoribus exhibita fuerunt. Considera 5. quæ verba dixerint. 1. mendacia eius verbis impingunt, conciones & vaticinia rident, sacra verba ad prauum sensum detorquent. 2. Cum miraculis ludunt: Si vera edidisti miracula, vel nunc tuam ostende virtutem, & saluum te fac. 3. in personam iniurij sunt, quam negant esse Filium Dei. Tu autem diuinis verbis fidem adhibebis, miracula admiraberis, animum à fide nusquam euariantem conseruabis, Christum Dei filium suscipies, illi adhærebis, illum non pertransibis. Qui enim

Isa. 57.

enim in hac vita prætereuntes blasphemant Christum, illi post hanc vitam prætereuntes cælum transibunt in gehennam.

Luc. 23. Similiter deridebãt eum cum eis Principes sacerdotum, cum Scribis & Senioribus, illudentes ad alterutrum dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, vt videamus & credamus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc si vult. Dixit enim, quia Filius Dei sum.

CONSIDERA I. Sacerdotes, religiosos, & Magistratus contra sui ordinis dignitatem, crucifixo homini insultasse, populoque duces in his irrisionibus fuisse. Hoc est enim quod B. Lucas ait, [deridebant eum Principes cum eis.] Tantum quippe erat studium obscurandæ gloriæ Domini, ne vlla eius postmodum mentio haberetur, quem vniuersi ordines etiam in summis pœnis cum morte conflĩctantem, nulla commiseratione dignum putassent, & velut opprobrium hominum, & abiectionem plebis, hoc est, qui & principibus viris, & fęci viliq́ue plebeculę esset ludi-

ludibrio, contemptim vt maledictum abiecissent. Sed non est consiliũ contra Dominum, qui hanc summam totius populi ignominiam in summam gloriam cõmutauit. Considera 2. à nullo hominum genere grauius Christum quàm à Sacerdotibus blasphemari. Hi enim & sese mutuo ad irrisionem prouocant, & ad blasphemias abutuntur scripturæ verbis, quæ de his blasphemiis à Propheta prædicta fuerunt, quæ ipsi tanquam Psalmi versiculos alternatim recitabant. *Psal. 21.* Discis grauissimos esse lapsus superiorum, qui deinde peccatorum suorum potenter tormenta patientur. *Sap. 6.* Considera 3. & expende eorum verba. 1. exprobrant beneficia collata populo, & tãquam diabolica arte miracula edita rident. 2. Regiam dignitatem ludibrio exponunt. 3. Fiduciam in Deum illi obiiciunt. 4. Maiestatem Filij Dei contemnunt, quæque honorẽ Christo conciliare debuerant, malitiosè irridẽt exprobrantes. Magi in stabulo muneribus *Mat. 2.* venerati sunt Deum Regẽ & hominem, & isti post tot miracula Dei filiũ, verumque Deum miracula operantem, Regem regum, & hominem in Deo sperantem

sannis

ſannis & contumeliis exceperunt. Conſi-
dera 4. malas illorum collectiones. 1. ſi
alios ſaluos fecit, debet & ſeipſum ſaluum
facere. 2. ſi Rex Iſraël eſt, debet de cruce
deſcendere. 3. ſi ſperet in Deo, vtpote
Filius Dei, liberabit eum vtique Deus.
Ideo quippe 1. ſeipſum non ſaluat, vt
morte ſua alios ſaluos faciat. 2. ideo de
ligno non deſcēdit, vt regnet à ligno Rex
Iſraël. 3. ideo non liberat Filium ſuum
Deus, quia ſperat ab eo, non de cruce de-
poni, ſed ſuper omnem creaturā per cru-
cem efferri, teque in gloria ſecum colloca-
ri. Conſidera 5. malos ad deſcenſum hor-
Mat. 4. tari, authore diabolo, cuius vox eſt, Si fi-
lius Dei es, mitte te deorſum. Diſcis, eos
omnes deſcendere de perfectionis gradu,
fieriq́ue deteriores, qui crucem abiiciunt.
Tu Chriſtū obnixè roga, vt de cruce, hoc
eſt, de ſolio miſericordię te regat, adeoq́ue
te ſecum in crucem aſſumat.

Luc. 23. Illudebant autem ei & milites, acce-
dentes, & acetum offerentes, dicen-
tes: Si tu es Rex Iudæorum, ſaluum
te fac.

CONSIDERA 1. grauem ignominiam
qua Dominus à viliſſimis carnificibus ver-
bis

bis factisque ridetur. 1. [illudebant ei,] 1. militari & scurrili petulãtia gestus inimicos & ludicros exhibebant. 2. Accedebant nudum Dominum propius inspecturi, iuxta illud: Ipsi verò considerauerũt & inspexerunt me. 3. acetum offerebant, tanquam pincernæ regi poculũ præbentes. 4. verbis alludunt ad titulum crucis, Rex Iudæorum. Ridiculum aiũt Regem, qui nec se possit saluare, quando subditis salutis spes omnes à Rege dependent. Psal. 21.

Considera 2. ab impiis nullam agnosci, nisi vitæ huius commoditatẽ & salutem; at verò pij salutem animæ agnoscunt, & quærunt, quam nimirũ cum Angelis habent communẽ, de corporis salute minus solliciti, quam etiam bestiis concessam vident. Cõsidera 3. Christi Domini & sponsi animæ tuæ immensam in te charitatem, qui neque pœnis, neque irrisionibus, neq. doloribus astãtis matris; neque lachrymis consobrini Ioannis; neq. Magdalenę planctu; nec denique amicorum mœrore induci potuit, vt de cruce descenderet, quam semel in gratiam tui conscenderat; quamuis non ignoraret hoc suo descensu istis malis omnibus celerem finem imponendum.

dum. Et tu igitur quod ſemel pro amore ſpōſi tui ſuſcepiſti, atque in eius honorem conſtituiſti, nulla ex cauſa deponas, aut deſeras, etiamſi mundus obſtrepet, etiamſi caro repugnet, etiamſi mater quibus te lactauit vbera exhibeat, & ſenex pater in limine iaceat: Per calcatum perge patrem, quia pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem. Hanc animi conſtantiam pete à Domino: & crucifixum frequens tibi ob oculos ponens, animum coram illo collige, eoque inſpectante, negotia tua conſtitue.

D. Hier. ad Heliodorum.

MEDI-

Prophetia Ps 21 Omnes videntes me deriserunt me loquuti sunt labiis et moverunt caput. Speravit in domino eripiat eum salvum faciat eum quoniam vult eum.

108 Ego factus sum opprobrium illis viderunt me et moverunt capita sua.

Plauserunt super me manibus omnes transeuntes per viam sibilaverunt et moverunt caput suum.

MEDITATIO XXXVIII.

De secundo Christi verbo.

Idipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo improperabant. Vnus autem de his qui pendebant latronibus blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac teipsum & nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? & nos quidem iustè, nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali gessit. *Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23.*

CONSIDERA I. ignominiam hoc loco irrogatã Domino, siue ab vno latrone, vt aiũt B. [a] Epiphanius & D. [b] Augustinus, siue initio ab vtroque, vt vult D. [c] Chrysostomus, sed vno conuerso, altero perseuerante. Siquidem vilissimi erant homines & infames, & iam maledictum supplicium crucis meritò tolerantes. Magis tamen affligebat cor Saluatoris, quòd ille pro quo & cum quo sanguinem suum fundebat, iam iam abripiendus esset in gehennam.

a *Hæresi 66.*
b *Lib. 3. de consen. Euang. cap. 16.*
c *Hom. 7. ad Philip.*

hennam. Disce hic communiter id fieri, vt qui malè vixit, malè moriatur, sicut malè vixit, nisi peculiari diuina gratia mutetur. Quia hac animaduersione percutitur peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret, oblitus est Dei. Considera 2. verba mali latronis: [Si tu es Christus, saluum fac teipsum & nos.] 1. fide caruit, qui vt crederet, miraculum voluit. 2. temporalem vitam, & salutem more peccatorum omnium, quibus de futura æternitate nihil curæ est, desiderauit. 3. hæc fortè in gratiam astantium Iudæorum dixit, cui tamen nihil profuit placuisse Iudæis, quia mundus nisi mercedem malam suis sectatoribus reddit. 4. semel dixit conuitium, sed correptus tacuit, melior te, qui adeò non emendaris admonitione, vt etiam in monentem excandescas. Considera 3. misericordiam Christi in bono latrone, cuius cor non solùm externis signis, sed interna quoque gratia instruxit, & emolliuit, vt plus profecerit tribus his horis audiẽs docentem de cathedra crucis, quàm profecerint Apostoli tribus annis, videntes miracula, & Dominum quoquo versus sequẽtes. Tanta est enim vis Dominicæ crucis, vt

D. Aug. Serm. 3. de Inno.

vt non solùm afficiat sensum, verũ etiam det intellectum auditui, & intellectui addat affectum. Itaque bonus hic latro rebus omnibus externis spoliatus, & corpore in cruce distentus, quidquid ei liberum fuit, totum hoc palam dedit, cor (inquam) & linguam Christo consecrauit, quia corde Rom. 10. credidit ad iustitiam, & ore confessus est ad salutem, de crucis cathedra doctor effectus propalã Christum confitens, & astantium vitia liberrimè redarguens. Considera 4. verba boni latronis. 1. socium peccantem insigni charitate prius corripit, quàm sibi aliquid à Domino petat. Incutit porrò timorem mortis iam impendentis, quia peccatores metu gehennæ sunt coërcendi, si quando diuinis beneficiis nihil moueãtur. [Neque tu times Deum.] Audax verbum, sed martyre dignum. Nemo (inquit) horum timet Deum, & hos tu imitari audes, iam modò ad Deum iudicem tuum profecturus? 2. peccatũ suum agnoscit, & crucis pœnã in satisfactionem suscipit. Indicium quippe est boni viri, culpam suam fateri, aliorũ peccata, si possit, extenuare. 3. Christi innocentiam prædicat; [Hic autem nihil mali gessit.]

Quæ ſententia in ſolum Chriſtum verè conuenit, eiuſque ſanctiſſimam matrem, quia peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Sed quia peccatũ nullum fecit, peccata omnium portare debuit, & luere in corpore ſuo. Docet igitur hic bonus, latro in aduerſitatibus non querendum, peccata confitẽda, Deo gloriam palam eſſe dandam, ſerioque animum ad Deum conuertendum. Hunc tu imitare cui mors vel in ianuis eſt, vel in inſidiis: Rogaque Dominum, vt ſalutarem ſui timorem tibi incutiat.

Luc. 23. Et dicebat ad Ieſum: Domine memento mei, dum veneris in regnũ tuum.

CONSIDERA 1. hunc bonum latronem impleſſe partes iuſtitiæ. 1. declinauit malum quod in ſocio reprehendit, & fecit bonum ad Chriſtum conuerſus. 2. ex do-
Michea 6 ctrina Micheæ [fecit iudicium,] peccatum ſuum grauiter accuſans; [dilexit miſericordiam,] admonito ſocio ad cõuerſionem; [& ſollicitus ambulauit cũ Deo ſuo,] quem oratione pia & humili veniam precatur. Conſidera 2. eiuſdem crucis & afflictionis varios fructus pro hominũ diuerſa conditione. Mali flagellis non emen-

emendantur, ſed blaſphemant; boni culpam fatentur, & vicinius ad Deum accedunt. Nihil ergo mireris, ſi Dominus in hac vita malis ſubinde concedit proſperitatem, bonis afflictionē, quod ex his cauſis miſericorditer facit; tum ne mali grauius impatientia peccent, & vt boni Deo firmius inhæreſcant; tum vt mali hic ſaltem mercedem aliquam obtineant, quando æterna gloria ſunt priuandi; & bonis merces æterna reſeruetur. Conſidera 3. ſingula latronis verba. [Domine,] vox reuerentiæ, metus, & ſubiectionis: Ego me tibi in ſeruum, mancipiumque conſecro: Non ait, Domine mi, quia vniuerſæ creaturæ Dominum, factorem & poſſeſſorem alloquitur. [Memento mei.] modeſta & humilis petitio; non peto regnum, non honores, ſed vt mei meminiſſe velis; non enim meminiſſe potes & deeſſe. Audeo hāc memoriam poſtulare, licet peccator. 1. quia alios peccatores orantes admiſiſti. 2. quia in gratiam peccatorum tam multa magnaque præſtitiſti. 3. quia ego peccator, peccandi volūtate depoſita, iam in te corde credo, te diligo, & ore palam confiteor. 4. quia nihil præter memoriam rogo, &

miſericordiam precor;tuum erit vel minimum quid largiri quod voles. 5. quia quem ſocium tormentorum atq. laborum eſſe voluiſti, tibíque in morte aſſiſtere, æquũ eſt participem quoque fieri quietis & glorię. [cùm veneris in regnũ tuum,] Agnoſco te Regem, ſed regnum tuũ non de hoc mundo; ſcio quòd à morte tua, te præſtolẽtur Angeli,& miniſtrorum exercitus,qui te non deferent vt Lazarum; ſed ſponte virtuteque tua venientem honoris cauſa proſequentur. Tu huius latronis fidem admirare,qui ſolus,blaſphemantibus cęteris,credit;& tuam infidelitatem deteſtare, qui mundo iam vniuerſo credente, vix ipſe tamen credis; Oraque Chriſtum, vt fidem tibi adaugeat, teque in regnum ſuum cum hoc latrone inducat.

Luc. 23. Et dixit illi Ieſus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.

CONSIDERA 1. Chriſtum blaſphemanti quidem latroni nihil reſpondiſſe, vt manſuetudinis virtute iram depelleres; alterius verò probaſſe conſilium, quo cenſuit in neceſſitate ad Chriſtum eſſe recurrendum, vt tu conſilij donũ aſſequaris. Conſidera 2. Chriſtum vt ſacerdotem noui teſta-

testamenti peccata dimittere; & vt iudicem, merita præmiaque decernere: & iusto quidem gloriam addicit, impio verò, cui nullam iustitiæ coronam promittit, satis indicat silentio gehennæ incendia præparari. Siquidem Christus dat gloriã, inferni autem pœnæ non tam à Christo donantur, quàm à peccatis efficiuntur, iuxta illud Apostoli: [Qui reddet vnicuique *Rom. 2.*
iuxta opera sua; iis quidem qui secundùm patientiam boni operis gloriam & honorem, & incorruptionem quærũt, vitam æternam: iis autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio,] nempe reddetur, non tam Christo authore, quàm malitia & merito peccatorum. Considera 3. benignitatem Regis Iudæorũ. 1. non reiicit hominem latrociniis infamem, qui non externam opinionem, sed internum cordis affectum intuetur. 2. statim exaudit confitentem, & peccata ignoscit. 3. plus promittit quàm rogatur. Petebatur memoria, promittitur gloria, & quidem statim reddenda eodem ipso die. Considera 4. verba Domini. [Amen] vocula est confirmandi; vt

certam verbis meis fidem adhibeas,ea voce affirmo,qua non niſi in rebus grauibus affirmandis vtor;& id quidē palam, & hiſce teſtibus addico. [Dico,] ego veritas, quæ mentiri neſcio, cuius eſt efficax promiſſio. Ego regni Dominus, de re mea non de aliena conſtituo. [tibi] non omnibus,ne prorogandæ in vitæ extremum pœnitentiæ detur occaſio. ſed tibi vni ſerio dolenti,peccata cōfitenti, pro peccatis hoc ſupplicio pœniſque ſatisfaciēti;vt ſi quis fortè peccator in extremis vitæ reſipiſcere volet, tuo exemplo ſpem veniæ concipiat. Siquidem ante peccatum ob oculos ponendi ſunt innumeri illi peccatores, cruci Dominicæ aſtantes, qui tamen veniā non obtinuerunt,ne fortè cum illis à Domino relictus malè intereas; quia qui pœnitenti veniam addixit,peccanti non addixit pœnitentiam. Poſt peccatum verò cogitandus eſt latro,ne deſperes. [Hodie] ſtatim à morte tua, vt virtutem crucis agnoſcas. Sicut enim victor ad victoriam oſtentandam nobiliſſima ſpolia defert in triumphum, ita Chriſtus parta iam victoria de diabolo,prædam illi præſtantiſſimam eripuit, ſpoliumque detraxit, & latronem, maxi-

maximè fidum illi quōdam mancipium, ſecum in triumphum adduxit.[Mecum,] vt qui pugnæ pœnarumq́ue ſocius fuiſti, coronæ ne expers inueniaris; neque vt latro paſſus videaris, ſed mecum triumphes vt martyr. Atque hic Chriſtus latronis *D. Aug.* ſupplicium cōuertit in martyrium, & qui *lib. 1. de* vt latro actus eſt in crucem, ob inſignem *anima, &* illam & publicam confeſſionem, vt mar- *eius origi-* tyr cum Chriſto, martyrum Principe, co- *ne, cap. 9.* ronam teſtimonij ſui percipit. [Eris,] perpetuò manſurus. [in.] tanta futura ſunt gaudia, vt illa non capias, ſed illa te ingredientem capiant; intus replebunt, foris circumfluent, iuxta illud: Intra in *Mat. 25.* gaudium Domini tui. [Paradiſo.] non terreſtrem dicit paradiſum, quo animæ & ſpiritus beatorum non delectantur; ſed diuinæ naturæ contemplationem, in qua eſt plena ſatietas & mentis oblectatio. Vocat verò non regnum ſicut latro petierat, ſed paradiſum (quod nomen hactenus non vſurpauit) 1. quia per hanc clauem Dauid, crucem inquam Dominicam, reſerata eſt nobis paradiſi porta, quam lignum ſcientiæ boni & mali peccato violatum obſerauerat. 2. quia in

regiam ſuam , cælum & locum beatorum poſt quadraginta demum dies conſcenſurus erat. Diſce hic Chriſti Domini liberale donum , bonoq́ue animo eſto. Nam qui latroni de cruce pœnitenti regnum promiſit; tibi, qui totam vitam, omneſq́ue ætates in eius obſequium impendiſti, non minorem mercedem laborum eſt redditurus. Cæterùm quia paradiſus à crucifixo non addicitur niſi crucifixo, tu ſi conſors vis eſſe paradiſi, cruci-
Gal. 5. fige carnem tuam cum vitiis & concupiſcentiis; rogaq́ue ſponſum animæ tuæ vt his te verbis ſub horam mortis ad cælos euocet coronandum.

MEDI-

Figura Gen 40
Josephus in carcerem cum duobus maleficis coniectus alteri prædixit fore ut evaderet et gratia Pharaonis restitueretur. alter deinde capitis damnatus est Prophetia Hier 39
Erit tibi anima tua in salutem quia in me habuisti fiduciam.

MEDITATIO XXXIX.

De tertio verbo in cruce.

Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. *Ioan. 19.*

CONSIDERA 1. fugientibus Apoſtolis, mulieres ad crucem vſque ſubſecutas eſſe Dominum. Primo autem loco nominatur mater eius, tum quòd fuerit cæteris feruentior, conſtantiorque permanſerit; tùm quòd mirum ſit, matrem tantos filij ſui, & talis quidem filij dolores ferre potuiſſe; tum deniq. vt diſcas minus quidem decere verecundiam muliebrem reorum adeſſe ſuppliciis, ſed illis eſſe perquam glorioſum, cũ matre Domini, crucis Chriſti ſupplicio aſſiſtere, & illud mentis oculis continuò verſare. Conſidera 2. cur huic ſupplicio mater Domini adeſſe voluerit; nempe non curioſitate vel leuitate mota, ſed 1. vt quæ ſummo amore talem tantúmque filium complectebatur; quem hactenus quocunque locorum ſecuta fuerat, in morte tandem non deſereret. 2. vt ſi quid poſſet vel ſolatij præſtaret vel obſequij.

quij. 3. vt non tam filij mortem, quàm modum humanæ redemptionis ſpectaret, illiuſque contemplatione in amorem Dei vehemẽtius inardeſceret. Conſidera 3. cur Christus matrem ſuam huic ſpectaculo voluerit eſſe præſentem. 1. vt teſtis aſſiſteret perſoluti precij pro peccatis humani generis. 2. vt ipſius in nos ardentem amorem cerneret, noſtrique proinde patrocinium ipſa ſuſciperet. 3. vt Regina ſanctorum omnium inſignis illius coronæ, quæ martyribus donatur, expers non eſſet, ſed præ cæteris omnibus nobilius martyrium ſubiret. Alij enim martyres paſſi ſunt dolores proprios, carnificum manibus irrogatos: At mater Dei, dolores filij eſt perpeſſa ex filij corpore ad ipſam deriuatos,

Luc. 2. quippe cuius animam tanti doloris gladius pertranſiuit. 4. vt matris præſentia doloris ſui augeret materiam. Non enim ſine cauſa dixit Euangeliſta, [mater eius,] nomine affectus, vtriuſque affectus internos ſignificans. Tu hic admirare duo luminaria magna obſcurari, luminare maius

Ioan. 1. Chriſtum ſolem iuſtitiæ, qui illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum, & luminare minus, Mariam pulchrã

vt

vt lunam. Sol factus est niger, ait Apostolus, tanquam saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis, mater filij sanguine madens. Considera 4. quòd non deses sedebat; non iacebat exanimis; non vaga discurrebat; sed stabat 1. ad reuerentiam filij, quem erectũ pro te in cruce cernebat. 2. tanquam obedire, & obsequi parata. 3. constans, fortique animo erecta fide, redemptionis humanæ, & resurrectionis filij. 4. vt parata etiam ipsa crucẽ ascendere, mortẽque, si opus fuerit, pro peccatoribus oppetere. Considera 5. cum matre Domini pauculos alios ad crucẽ astitisse, virginem, viduam, & peccatricẽ mœstos, omniq́ue destitutos solatio, vt discas 1. Christum cruci affixum nobis à Deo Patre datum esse solatium afflictorum; patronum viduarum & pupillorum ab eodem constitutum; denique eundem, & cõseruatorem virginibus & custodem assignatum. 2. illis præter cæteros à Christo communicari ex hac passione sensum doloris, quos cæteris amat ardentius. Obserua igitur an Christi passione mouearis, vt quo sit ille in te amore, intelligas. Considera 6. [stabant iuxta crucem Iesu.] Apoc. 6.

Rari

Rari iuxta crucem Ieſu ſtant. Sunt qui iuxta illam obambulent,qui leuiter Chriſti myſteria percurrunt; alij à longè ſtant, eminus ſpectantes,quaſi nihil ad ſe myſteria crucis pertinerent; alij iuxta latronum ſtant cruces,qui ſuperbiæ, luxus,auaritiæ, cæterorumq́. vitiorum moleſtias patiuntur. Iuxta crucem Ieſu nulla tolerantur peccata, nullæ leuitates committuntur, nullæ quæruntur delicię. Hic eſt,quicquid deteſtatur mundus, paupertas, carnis maceratio, contemptus,conuitia; abeſt hinc, quicquid concupiſcit & admiratur mundus. Tu ad Chriſti matrem cruci proximus accede, quia hæc vnica via plorantes lugenteſque deducit in cælum;cùm cæteri ridentes,cachinnantes,blaſphemantes, infernum petant: rogaq́ue virginem matrem, vt tibi aſſiſtat morienti, tuaſq́. tum anguſtias ſoletur, quæ tanta conſtantia filij etiam paſſa eſt dolores.

Ioan.19. Cùm vidiſſet ergo Ieſus matrem & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus.

CONSIDERA I. pulchrum ordinem in verbis Dominicis.nam primo omnium pro

pro peccatorum ſalute Patrem orauit; tum ſpiritualia bona latroni conceſſit, & paradiſum addixit; iam tertio loco dilectiſſimę matri temporale adfert ſolatium; vt diſcas 1. ad quid in mundum Chriſtus venerit, atque in crucem hanc aſcenderit; nempe vt peccatores ſaluos faceret, de quorum numero tu vnus es. 2. de ſalute & perfectione proximorum ante omnia ſollicitus eſſe, priuſquam ad res temporales conuertas cogitationem. Conſidera 2. eum qui à puero Chriſtum ſecutus fuerat, & iuueniles annos Domino dicauerat, cæteris latentibus, cruci Dominicæ adhæſiſſe, præmiumque conſtantiæ, commendationem, & cuſtodiã virginis matris accepiſſe, vt tu à puero Chriſtum & matrem eius venerere, & iugum Domini ab adoleſcentia tua patiare. Conſidera 3. quibus oculis amantiſſimus filius matrem tam dilectam aſpexerit, & ab illa viciſſim conſpectus fuerit: Amor & commiſeratio matris oculos in filium attollebant; dolor & lachrymarum vbertas rurſus deprimebant. Tu cogita quid cor filij ad cor matris loqueretur, & quid matris cor reſponderet filio. Compatere vtrique, & eorũ allo- *1 Tim. 1.*

quio etiam tuas adiunge petitiones. Considera 4. quòd se non proprio nomine Ioannes vocet, sed discipulum quem diligebat Iesus, vt tu semper ob oculos habeas beneficia, quibus & te præuenit Dominus, & singularem suam tibi charitatem exhibuit. Considera 5. à Christo Domino hic matri & amicis condi testamẽtum vultu & verbis. Respiciẽs quippe matrem & discipulũ, seipsum & quæ ipsum attingebãt, eis donauit; coronam spineam, clauos, sputa, sordes, sanguinẽ, odium mundi, irrisiones, & probra; vt ab his Christi insignibus non abhorreremus; sed in illis ingentes thesauros collocatos putaremus, eosque summa diligentia quæreremus & conatu; & quòd mater quidem his ad nostri commiserationem moueretur; nos autem qui in Ioãne significabamur, illis ipsis in precibus nostris ad Deum & virginem matrem vteremur, perque hæc sputa, hos clauos, hunc sanguinẽ obsecraremus. Verbis porrò discipulum matri, & matrẽ discipulo, nobisque omnibus testamento legauit. Considera 6. singula huius testamẽti verba. [Mulier.] nõ ait mater, sed mulier. 1. ne ipsam hostibus illudẽdam proderet.

2. ne

2. ne matris cor amoris voce vulneraret. 3. vt significaret illam ipsam esse, de qua Deus olim prædixit: Ponam inimicitias inter te & inter mulieré, ipsa conteret caput tuũ. Iam enim corpus Christi de virgine sumptum, & à virgine ad delẽdas diaboli vires datum, serpentis caput conterebat. 4. vt constantiam matris disceremus, cui vaticinium Salomonis conueniebat: Mulierem fortem quis inueniet? [Ecce.] iniqua (ait) est permutatio pro Filio Dei suscipere filiũ hominis; pro filio tanti Regis, filium piscatoris: sed grata debet esse donatio, tum quia necessitas cogit; tũ quia proficiscitur à filio; tum quia in ipso genus humanum commendatur. [filius.] Ego hunc Ioannẽ, atque in eo Christianos omnes hactenus dilexi; pro filiis habui; vt filios curaui; carnibusq́. meis & sanguine paui. Tu igitur mater mea, amore mei eodẽ illos loco habebis. [tuus.] sic eos diligas, atque si vtero gestasses. Magnam habuit vim apud matrem hæc filij commendatio. Tu igitur de virginis huius benignitate confisus, ad eam vt matrem in necessitatibus omnibus confugias.

Gen. 3.

Prou. 31

S Deinde

Ioan. 19. Deinde dixit diſcipulo, Ecce mater tua; & ex illa hora accepit eã diſcipulus in ſua.

CONSIDERA 1. Ioanni, qui Chriſti amore patrem matremque deſeruerat, hic longè præſtantiorem matrẽ dari. Ita enim Mat. 19. prędixerat Dominus, Cẽtuplum accipiet. Conſidera 2. virginitatem omnemq. caſtitatem à Domino commendari, carniſque luxuriam per Chriſti paſſionem, auxiliũq. Dei matris extingui. Conſidera 3. pietatem Chriſti in matrem, vt donum pietatis in Deum atq. parentes Chriſti gratia conſequaris. Conſidera 4. verba Domini. [Ecce.] ſummum beneficium, vt cõmunem homo & Deus habeat parentẽ. [mater.] quã venereris, diligas, tuearis, ad quã cõfugias, in qua ſpem colloces, quæ media ſit inter me & vos filios, per quam ego veſtras preces ſuſcipiam. [tua.] non ſolùm humani generis eſt patrona, ſed tua quoque; vt quæ dilexit te & filium ſuum vnigenitum dedit in mortem pro te, eũ paſſa crucifigi, cędi, rideri, occidi pro te. Conſidera 5. Ioannem pauperẽ, qui dimiſſis omnibus, paupertatis voto cum cęteris Apoſtolis ſe obſtrinxerat, nihilque ſibi reliqui fecerat

D. Aug. lib. 16. de Ciuitate Dei, cap. 4.

fecerat, hanc nouam matrem recepisse in suã, non bona, domos, agros, sed officia. Curam igitur eius egit, & ne quid deesset, Christianorum eleemosynis prouidit. Tu roga Dominum, vt matrem suam, etiam tibi matrẽ esse iubeat, vt eius tu honorem tuearis, augeas gloriam, & cum illa iuxta crucem consistens, crucis dona accipias.

MEDITATIO XL.

De quarto verbo in cruce.

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsq. ad horam nonam, & obscuratus est sol. *Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23.*

CONSIDERA I. solem in Domini tui passione obscurari, densisque tenebris orbem vniuersum inuolui, de quibus (teste B. Cypriano) prædixerat Amos: Occidet sol in meridie, & obtenebrabitur dies lucis: & Hieremias: Subiit sol ei, cùm adhuc medius dies esset. 1. vt sicut moriente patrefamilias, ad luctum excitandũ tota domus pullis vestitur; ita tu lugentibus luminaribus cæli, & orbem tenebris obuoluentibus, luctum de Domini tui passione cõcipias. 2. vt declararetur verus Sol Chri- *Lib. 2. ad Quirinũ, cap. 13. Amos 8. Hier. 15.*

ſtus Deus mori, à cuius nimirum claritate nõ minus dependet lux ſolis huius noſtri, quàm à claritate ſolis cæterorum illuſtratio ſiderum. 3. vt magnitudinem diſcas huius peccati, à quo ſol abhorrẽs, ſuã quaſi faciem auertit, lumenq́. ſubtraxit; ſimulq́ue ſe ad vindictam paratum exhibuit, & Domino Creatori ſuo ſuum interitũ pro eius morte obtulit. Diſcis cuiuſlibet peccati mortalis eam eſſe grauitatẽ, vt leuius ſit, ſolem & ſidera interire, quàm vno crimine Dei maieſtatem offendi. Siquidem vnoquolibet peccato mortali occiſus eſt Deus, cuius mors vniuerſæ creaturæ interitu non poteſt compenſari. 4. vt ſcias Chriſtum pro ſummis peccatorum, & à denſiſſimis Iudæorum tenebris hanc mortem ſuſtinere, vt iis morte Dominica diſcuſſis, noua lux fidei & diuinæ ſapientiæ orbi reſtituatur, ſicut hora nona lux reddita eſt mundo. 5. vt fructum intelligas mortis Dominicæ eſſe in cõtemptu ſplendoris & fauoris mundi huius: qui enim cum Chriſto cruci affixi ſunt, non illi honoribus, & nominis celebritate, ſed obſcuritate, ſed neglectu gaudẽt, atq. cõtemptu. Conſidera 2. modum huius eclipſeos, quem

quem B. Dionysius Areopagita oculatus testis descripsit. 1. luna plena & soli opposita, ad solem rediit ex media nocte in meridiem. 2. non ordinario motu suo ad solem venit per occidentem, sed motu sibi contrario per orientem. 3. Sol ipse in se lumen amisit, vnde secutum est 4. quòd non vna sola terræ parte (quod in aliis solis eclipsibus fieri solet) sed per vniuersum terrarum orbem deliquium hoc solis nõ aliter cerneretur, atque defectio lunæ, quæ vero priuatur lumine per interiectam terram. 5. ad horas omninò tres ista defectio perseuerauit, quæ aliàs consueuit esse exigui temporis. Hæc omnia suis rationibus & momentis non vacant. Christus est sol iustitiæ; luna mundus; stultique peccatores: quia stultus vt luna mutatur. Mortuus est igitur Dominus, quando mundus in nocte errorum Deo oppositus, gloria, opibus, sapientiaque fulgebat. Accurrit porrò mundus ad hanc eclipsim, nimirũ ad mortem Domini, cui non solùm aliis peccatis, sed hac quoque necis Christi machinatione causam dedit. Sed quia Christi maiestas humanæ potentiæ subiecta non est, nunquã humanis viribus obscurari potuisset,

Epist. 7. ad Policarpum, & 11. ad Apollophanem.

Eccl. 27.

& occidi;nisi diuina Patris volũtate morti traderetur. Itaque verè obscuratus est sol, Christus verè occisus, & malitia mũdi, & ira paterna. Habuit enim se Dominus noster ad instar illius, qui inter duos pugnãtes medius intercedit, & vtriusque gladios excipit. Mũdus cum Deo pugnabat: Iram Dei, & furorem hominum in corpore suo
Psal. 87. suscepit Dominus. In me, inquit, transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. Deficiente itaque sole iustitię, tenebris obducta est terra, tum quia tã graui facinore noua luctus & vindictæ materia subministrata est, tum quia morte Domini omne dominium in homines Principi huius mundi ademptum, cuius loco ignita illi vincula iniecta sunt, & tenebricoso inferni carceri est adiudicatus. Quòd verò contrario motu luna per orientem ad solem in meridiem accurrit, significari videtur, Iudęos nulla ęquitatis habita ratione, contra legem, contra ius naturæ, contra conscientiæ dictamen, ad Christi mortem properasse, & orientes in se bonos affectus celeri præcipitatione repressisse. Demum tribus horis defecit sol, quia integro triduo partim in tormentis & manibus Iudęorum,

dæorum, partim in ſepulchro latuit Dominus. Tu roga Chriſtum vt verũ lumen fidei & gratiæ conſeruet animæ tuæ.

Circa horam nonam exclamauit Ieſus voce magna, dicẽs: Eli Eli Lamma-ſabactani, quod eſt interpretatum, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? *Mat.* 27. *Mar.* 15.

CONSIDERA 1. cur Dominus tuus ſub vitæ finem hunc clamorem ediderit, non quidẽ vt à ſe dolores auerteret, more noſtro, qui ad primum doloris ſenſum clamamus (iam enim dolorum finis inſtabat) neque vt vindicta huius mortis de Iudæis ſumeretur, quia melius loquitur ſanguis Chriſti quàm Abel, ſed 1. vt qui tribus illis horis, tenebris obtectus, nullũ vel ſermone vel gemitu vitæ ſignum dederat, nondum de vita migraſſe ſciretur. Tu tecum perpende, quid ſilens in tantis tormẽtis egerit, nempe pro te Deum in hac admirabili liturgia & ſacrificio continenter orauit; ſacra pſalmorum verba (quorum nonnulla etiam clariori voce, vt ab aſtantibus audiretur pronũciabat) ad tuam ſalutem recitauit. 2. ne propter Chriſti continuum ſilentium, & admirabilem patien- *Heb.* 12.

tiam animique constantiam, errore putares vel hominẽ non fuisse, sed phantasma; vel dolores non sensisse. Verè etenim dolores passus est & sensu percepit, sed amor tui prohibuit queri. 3. vt te in omnibus angustiis tuis vnum Deum magno affectu precandum doceret. 4. vt hac querula voce tu tibi fructum passionis à Deo Patre per Christum impetrari disceres. 5. vt tu ex his verbis quæ, quantaque, pro quibus, & à quo passus sit Dominus seriò tecum expẽderes. Ideò nãque, vt ait D. Epiphanius, Syriacè hæc dixit Dominus, vt astantes loquentem intelligerent. Considera 2. & verba expende, [Deus.] non ait Pater. 1. quia Patrem compellare erubuit, quippe qui personam peccatorum referebat; vt tu superbia deposita, humilitatem disceres. 2. ne vt Filius de Patre queri videretur; sed vt natura de afflictione.

Hæresi 69

[meus.] hoc est, cùm omniũ creaturarum sis Deus, meus tamẽ es multis nominibus peculiariter Deus; tum quòd humanã naturam in Filij personã assumi voluisti, meque super omnem creaturã euehere; tum quòd manibus ipse tuis hoc corpus in vtero virginis formasti; tum quòd ego te singulari

gulari semper affectu sine vitio & colui & obseruaui. Ingeminatio [Deus meus, Deus meus] summũ huius orationis arguit affectũ. [vt quid.] nõ quærit causam, ne obedientiæ perfectio minuatur; sed naturali affectu queritur. Primò quidẽ nullo suo se merito relinqui; [lõgè, inquit, à salute mea verba delictorũ meorũ?] hoc est, an fortè peccata mea salutẽ meã & auxilium tuũ impediãt? atqui peccata cõmisi nulla. Secundò verò de causæ indignitate: vt vilissimum seruulum (ait) redimeres, filium hostibus tradidisti. [dereliquisti] significat nihil vel auxilij vel solatij ex diuinitatis vnione accessisse, totoque passionis tempore hominẽ suis viribus relictum fuisse. Non ait, derelinquis, sed dereliquisti; non hac solùm passione, sed per omnes vitę meę ætates, in nullis mihi laboribus astitisti. Apud prophetas multa de hac re pręnunciata fuerunt. [Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.] Res indigna: diuitem habeo parẽtem, sed qui diuitias suas larga manu in homines nequam effundit, [quia de absconditis tuis.] .i. diuitiis quæ recondi solent, [adimpletus est venter eorum:] ego interim

Psal. 21. *Psal. 87.* *Psal. 16.*

filius relinquor mendicus & pauper, atq.
à puero ad grauissimos labores cogor.
Psal. 87. [elongasti à me amicũ & proximum,]
qui mihi in malis solatio esse poterant.
[Super me confirmatus est furor tuus,
& omnes fluctus tuos induxisti super
me.] obruisti me & demersisti calamitatibus.
[Me] Filium qué ab ęterno genuisti,
quem præ creaturis omnibus charum habere
debueras. In his tu contemplare iustam
in Christo querendi causam, sed &
Patris ardentissimum in te amorem; qui vt
tuas querelas audiret, filij querulosas voces
surda aure transiuit; quem voluit, non
modò scire, sed reuera experiri miserias;
tum vt nosset cõpati infirmitatibus tuis,
tum vt scientiæ donum tibi commendaret,
quo scires rebus omnibus vti ad tuam
salutem.

Mat. 27. Mar. 15. Quidam autem illic stantes & audientes
dicebant: Ecce Heliam vocat iste.

CONSIDERA 1. Romanos milites (iuxta D. Hieronymum) cùm Hebraicè ignorarent (est enim Eli Hebraicũ, & Lammasabactani Syriacum) audissent autem à Iudæis, quibuscum agebant, sæpius Heliæ mentionem, deceptos affinitate vocũ existimasse

ſtimaſſe à Domino inclamatum Heliam. Tu diſce verba Dei non intellecta, temerè neque vſurpare, neque interpretari. Conſidera 2. totis illis tribus horis eclipſeos ſtetiſſe omnes attonitos, ſine motu & ſine voce; redeũte autem paulatim luce, etiam impios ad ſuas reuertiſſe irriſiones: vt diſcas 1. quòd malorum impietas ad tẽpus cohiberi quidem poſſit, ſed ſine ſingulari diuino fauore auferri non poſſit. 2. Dei miracula & minas diligenter obſeruare & formidare. Sicut enim his tenebris ſignificatas Deus Iudæis voluit imminentes tenebras exteriores, quibus per omnẽ æternitatem, niſi reſipiſcant, inuoluentur; ita minacibus ſuis ſignis, per cometas, tonitrua, terræmotus, peſtem, famem, aliaque tum phainomena, tum euenta prenunciat futura mala. Conſidera 3. cùm aliàs ad fidem Chriſti ſermonibus dandam, Iudæi *Luc. 11.*
ſignum de cælo petierint, hîc accepto huiuſmodi ſigno factos nihilo meliores, vt ſcias eos etiam non credituros vt promittebant, ſi de cruce deſcẽderet; quia impiorum deſideria non referuntur ad ſalutem, ſed ad vanitatem & irriſionem. Conſidera 4. quale ſolatium adferatur à mũdo; nẽpe ludi-

ludibrium & cõtemptus; nam qui ipſi vera conſolatione mentis deſtituuntur, alios ſolari quî poterunt? Conſidera 5. hæc dicta eſſe ab aſtantibus & audientibus; vt diſcas 1. otioſos homines in rebus ſuis incurios, nihil niſi aliorum verba factaque carpere & ridere. 2. illos ſiniſtrè Dei verba torquere, qui illa quidem audiunt, ſed virtutum ſe ſtudiis tamen non impendunt. Conſidera 6. ab impiis ignorari diſcrimen inter Heliam, & Eli; & honorem qui Deo, & qui creaturis debeatur. Ideò nonnulli prætermiſſo Deo, auxilium inuocant creaturarũ, ad quas in ſuis neceſſitatibus confugere conſueuerunt; alij hominibus plus honoris quàm ipſi Deo exhibent; alij interpretantur creaturis fieri, quæ per eas ad Deum referuntur, vt ſunt veneratio cultuſq. imaginum & Sanctorum; obedientia Pontificum &c. Tu verò ſanius Chriſti verba interpretare, illumque roga vt diuino ſcientiæ dono tuam mentẽ informet.

MEDI-

MEDITATIO XLI.

De quinto Christi verbo in cruce.

Postea sciens Iesus, quia omnia iam cõsummata sunt, vt consummaretur scriptura dixit, sitio. *Ioan. 19.*

Considera 1. Dominum tuum in tantis crucis tormentis, mente tamen lustrasse scripturas, diligenterq́. singulas inspexisse, an quæ fortè superesset nondum ad salutem tuam impleta; vt tu in Dei voluntatem maiorumq́. tuorum iussa semper intentus, nihil eorũ prætermittas, quæ officium tuum postulare videantur. Considera 2. Christum nihil vnquam vel fecisse temerè vel dixisse, sed eò retulisse omnia vt consummaretur scriptura. Beatum te si nihil agas nisi ex obedientia, quæ & insignem ornatum agenti, & admirabilem operibus reddit mercedem. Considera 3. grauem admodum fuisse sitim illam, quam tot sæculis Rex & Propheta Dauid præuidit, quæ & ex laboribus, doloribusq́. crucis, & ex sanguinis continuis riuis, & ex totius noctis & diei inedia nata fuerat. Expẽde verba Psalmistæ: [Aruit tãquam *Psal. 21.* testa

testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxisti me,] hoc est, fecisti me adinstar aridi cineris. Considera 4. cur scripturæ, quæ de siti hac prædixerant, sint post cęteras omnes vltimo loco impletæ. nēpe 1 vt primum peccatū intemperantia in ligno commissum, quod humanum genus infecerat, tanquam grauissimum cæterorumq. omnium incentiuū, postremo loco in crucis ligno aboleretur. 2. quia sitis hęc ex viribus iam planè exhaustis, & naturali omni humore effuso causam habuit, vt nobis indicaret Dominus, se liberali manu omnia sua nobis donasse. Considera 5. cur in tantis tormentis, tot vndique doloribus septus & oppletus, de sola tamen siti queratur, nimirū 1. vt verè crucis dolores percipere sciretur, & eos quidem acutissimè, siquidem Christus non leuiter & nisi in re summi momenti queri solet. 2. vt præter cæteras virtutes, præcipuè temperantiam suo exemplo commendaret, quæ & mentem ad Deum eleuat, remediumque certissimum adfert peccatis. 3. vt qui iam vniuersum sanguinem suum nobis effuderat, & externa omnia dederat, Patrem quoque

cæle-

cæleſtem pro omnium peccatis orauerat, iam migraturus ex mundo intelligeret, quam ei grati animi ſignificationẽ humanum genus offerret. Non peto, ait, vt de cruce tollatis; nõ vt veſtes reddatis, & nudum hic pendentem contegatis; non vt vulnera curetis, ſed ſitiẽti vt vel aquę guttam porrigatis, quę ſolis dãnatis in inferno negatur; cupio ariditatem meam refocilletis; hanc pro omnibus laboribus meis à vobis vnam gratiam peto. 4. vt non de ſola corporali, ſed vel maximè de ſpiritali ſiti loqui intelligeretur. Sitiebat emendationem noſtram, perfectionem noſtram, ſalutem noſtram, quam vtique ſitim ab ipſo vitæ ſuæ exordio ſemper habuit flagrãtiſſimam, eamq. vt ſedaret, nihil intentatum reliquit, ſed liberaliſſimè fecit omnia, & pertulit conſtantiſſimè, eamque & factis prodidit ſemper, & verbis ſubinde declarauit. Itaque à Samaritana poſtulauit, Da *Ioan. 4.*
mihi bibere; & Apoſtolis dixit, Baptiſmo *Luc. 12.*
habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur? Iudam quoque monuit, quod facis fac citius. Hic porrò in *Ioan. 13.*
mortis hora, hãc ſitim clarius aperuit, tum quia eius in nos amor tũc maximè eluxit,
ſicuti

ficuti ferè candela, quo magis ad finẽ tendit, eo lucet clarius, & cygnus quoq. moriturus quasi prænuntias futurę mortis voces edit suauiores; tum vt se ad plura patiẽda, si foret opus, pro salute nostra prõptũ demõstraret. Sitio, inquit: hoc est, restátne
Isa. 5. aliquid quod debui facere vineæ meæ, & non feci? Ecce dum tempus est offero me ad plura grauioráque; neq. poterit vnquam expleri sitis præ ardore charitatis, nisi largissimè passionis calicem exhauserim, fructumq. ad mea membra, discipulos (inquam) meos trãsmiserim. Loquitur autẽ Deo Patri, qui interna Filij desideria nouerat. Admirare hic Christi charitatẽ, quæ hac passione ad eum nobis modũ spirauit, quo preciosa aromata tunc spirant odorem quando teruntur, & tunc quidem maximè cùm in puluerem rediguntur.
5. vt hanc sitim nobis testamento relinquat: mundus sitit opes, honores, voluptates, & alias inanes delitias, quæ & magno quidem constant, & sitim tamen desideriumque non explent, quin & hausta tanquam præsentissima venena perimunt bi-
Iud. 4. bentẽ; quod Sisarę duci euenit, post epotum lac à muliere necato. Christus te vult
sitire

ſitire ad Deum fontem aquæ viuę, & non fodere ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Vtinam tuam ipſius tu ſalutem ſitires, ſicut eam ſitiuit Chriſtus; vel ſicut hoſtis animæ tuæ diabolus ſitit interitũ! Eſto hæres ſitis Chriſti, quẽ roga, vt te ſatiet vberibus gratiæ ſuæ. *Pſal. 41.* *Hier. 2.*

Vas ergo erat poſitum aceto plenum, & continuo accurrens vnus ex eis, ſpongiam acceptam impleuit aceto, & impoſuit arundini & hyſopo, & dabat ei bibere. *Mat. 27.* *Mar. 15.* *Ioan. 19.*

CONSIDERA I. tum pronitatẽ hominum ad malum, qui vel minima oblata occaſione feſtinant ad peccandum; tũ dæmonis auxilium, qui ſtatim ſubminiſtrat media peccandi. Hic parata erant omnia, vas, acetum, ſpongia, arundo. Diſce quid peccatores ad montem Caluariæ, & in Eccleſiam adferant, nempe inſtrumẽta necis Dominicę. Contrà viri ſancti, cum Nicodemo, & Ioſepho ab Arimathia, eodem ferunt inſtrumenta deponẽdi de cruce corporis Dominici. Cogitabis ergo quibus tu inſtrumentis in Eccleſia ſancta vtaris, an ne vt perdas animas, an verò vt ſerues.

Conſidera 2. Chriſto iam animã agenti,

nihil quicquam ad solatium vel verbo di-ctum, vel exhibitũ opere, & aquæ insuper guttam negatam. Fortè pro more non de-erat vinũ, sed quod crudelitate & petulan-tia ipsimet carnifices exhauserint, iuxta
Amos 2. prophetiam Amos: [Super vestimentis oppignoratis accubuerunt iuxta altare (crucis) & vinum damnatorum bibe-runt in domo Dei sui,] quæ fuit mons Caluariẹ. Considera 3. repleri spongiam
Leuit. 14 aceto, eamq. calamo hysopi, cuius vsus erat in veteribus sacrificiis, infigi, & arundini impositam Dominico ori sugendam ad-moueri; quod cùm militari insolentia fie-ret, guttæ multæ in aperta crucifixi vul-nera deciderunt, suaque amaritudine car-nem Dominicam corroserunt. Hæccine est merces illius oris, quod ad nostram sa-lutem toties apertum fuit; & illius linguẹ, quæ tot documẽta dedit, tot infirmos cu-rauit, tot edidit miracula? sed Christus qui pro cæteris peccatis tuis iam Deo Patri aliis pœnis satisfecerat; & superbiam tuam extrema sua confusione, auaritiam tuam summa paupertate; libidinem tuam acer-bissimis tormentis; iram tuam incredibili patientia; inuidiam tuã ardentissima cha-
ritate;

ritare; tuam acediam ſedula alacritate curauerat; voluit denique gulæ & intemperantiæ tuę medicinā adhibere, & os illud quod eſu pomi in paradiſo fuerat infectū, hac ſua amaritudine quaſi antidoto repurgare & abluere. Expēde hic quem potū tu Domino tuo propinare ſoleas, nēpe acetum, vini fęces & ſordes. Mundo das merum vinum;in eius gratiam candidè laboras, eius tibi fauorem omni conatu cōcilias;ingenium, induſtriam, vires & opes tuas omnes expēdis,& donas omnia:Chriſto ac Dèo tuo viliſſima quęque admiſces, teporem,furta,odia,aliaq́ue flagitia. vnde queritur Dominus: Expectaui vt faceret *Iſa. 5.* vuas, & fecit labruſcas. Et tibi pro mero tuo mundus viciſſim acetū arundine porrigit, nempe frigidas & acerbas delitias in anima pertuſa & vana; nihil enim caloris veri & ſuauitatis reddere poteſt vel habet mundus. Tu igitur potius Chriſto propina merum:& ſeriò atque ex animo te,tuaq́ue omnia ipſi conſecra, & ſicut amantiſſimo parenti non offers marcidum,ſed recētem & odore fragrantem florem, ita florem ætatis tuæ, & ſuaues labores Chriſto putes offerendos, & ipſe tibi viciſſim præbebit ſe ſpon-

ſpongiam arũdini crucis affixam, plenam gratiæ & veritatis, ex qua ſuauem haurias liquorem: & intellectus donum tibi communicabit, quo intelligas & capias delicias ſponſi tui.

Mar. 15. *Mat. 27.* Et dicebat, ſinite videamus an veniat Helias ad deponendum eum. Cęteri verò dicebant, Sine videamus an veniat Helias liberans eum.

CONSIDERA I. verba carnificum. Eorum vnus acetum propinans, quod à crucifixis hauſtũ accelerat mortem, ait: [Sinite videamus an veniat Helias.] hoc eſt, vtique non veniet Helias, quẽ ego hoc poculo mortifero præueniam, & hunc de medio tollam. Alij iiſdem verbis iſtum ad differendum poculum hortabãtur, donec experimento diſcerent, an veniret Helias, & falſitatis vt pſeudoprophetam arguere poſſent, qui fruſtra mortuos inuocaret, & vmbras. Tu hic diſce 1. quo loco ſit ab his carnificibus habitus Dominus tuus, iam iam moriturus, vt tu illum pluris in animo tuo facias. 2. magna eum ſiti de hoc mundo migraſſe, eamque ſitim ſalutis tuę in cælos detuliſſe, vbi ardenti quidem, ſed non moleſto tamen deſiderio, ſalutis tuæ commoda

commoda pertractat. 3. frigidum hoc & penetrans aceti poculum Christo Domino mortẽ attulisse, quia per peccatũ mors in orbem ingressa, omnes occidit, nec ipsi filio Dei pepercit, qui vt mortem prosterneret, ipsemet mortẽ gustare debebat. Tu itaque peccatum fugiendũ puta, ne postquam eas iam vires accepit, vt corpus interimat, latiùs etiam serpat, animamque trucidet. Considera 2. duo hominũ genera. quidam enim sine vera fide Dei patientiã sceleribus irrident, [vbi, inquiunt, est promissio aut aduẽtus eius?] Alij fide quidem sunt imbuti, sed cõscientiæ stimulos celeritate peccandi præueniunt, quorum pedes ad malum currunt. Tu ab vtrisque caue; oraque Dominum ne te in hora mortis diabolo relinquat irridẽdum. *2. Pet. 3.*

MEDITATIO XLII.

De sexto verbo Domini in cruce.

Cùm accepisset Iesus acetum dixit. *Ioan. 19.*

CONSIDERA 1. hoc verbum præter cætera admirabilem peccatoribus omnibus adferre consolationem. Hactenus enim quæ dicta sunt, ad alios fere pertinuerunt,

 nuerunt,

nuerunt, ad tortores quibus ignoſci petiit; ad latronem; ad matrem, &c. Hoc porrò verbo nobis omnibus denunciat, perſoluta iam debita, omniaque perfecta, quæ ad ſalutem noſtram neceſſaria videbantur. Conſidera 2. quiſnam ille ſit, qui conſummatũ eſſe hic aſſeuerat: Chriſtus Deus & homo. nam vt hoīo ſolutionis huius pretium offert; vt Deus autem ſuſcipit. Sicut igitur ſi is qui vinum promit, & is ſimiliter cui promitur, impleta iam menſura dicant ſufficere, fides vtique adhibebitur: ita Chriſto Domino credendũ eſt, dicenti, conſummata eſſe omnia. Conſidera 3. vbi dixerit. 1. in crucis altari, in quo Deo preciũ illud perſoluebatur. 2. in loco eminenti, vt more pręconis hæc noua nũcia mũdo promulget. Tu arrige aures, & de perſoluto precio ne dubita. Conſidera 4. quando dixerit, nempe hauſto aceto & iam moriturus; vt ſcias nihil motum ingratitudine noſtra, teſtamentum ſuum nobis confirmaſſe, quod nulla hominum maleuolẽtia infringetur, ſed quiſquis ſanguinis huius particeps eſſe voluerit, id integrum ei, ſanctumque permanebit. Conſidera 5. quare dixerit, ad noſtram

vtique

vtique consolationem, qui peccatorũ grauitatem non ignoramus, quibus redimendis nulla omnino creatura par esse possit. Affirmat igitur Dominus neque tantam esse flagitiorum enormitatem, neque tantam peccatorum copiam ac numerũ, neque vlla omninò debita tã immensa, quibus cumulatissimè dissoluendis nondum sit à se factum satis. Tu ora, vt hoc te verbo in morte cõsoletur, ne debitorum magnitudine ad DEVM creditorem proficisci pertimescas.

Consummatum est. *Ioan. 19.*

CONSIDERA 1. non dictum esse, consummatum est hoc vel illud; sed absolutè, consummatum est; vt scias hac Dominica passione consummata esse perfectaque vniuersa, tam in cælis, quàm in terra; tam quę Deum concernunt, quàm quę ad homines pertinent. Sicut enim peccatum violauit omnia; ita Christi sanguis vicissim omnia restituit, vt discas in Christi passione omnia quęrere, & cum Apostolo, *Galat. 6.* in nullo gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Cõsidera 2. vt sint à Christo consummata quæ Deum attingunt. 1. mãdata omnia Dei patris perfectè ob-

seruauit, nullum vnquam vel cogitatione violauit. 2. quicquid scripturis diuinis sibi commissum fuit, accuratè impleuit, nec
Mat. 5. iota vnum, vel vnus apex præteriuit, qui plenè non fieret. Duplicia enim mandata à Patre acceperat, quędam in cęlis tradita, quædam scriptis commissa, nobisq́; communicata. 3. omnibus figuris, cęremoniis, & vmbris veteris testamenti finem imposuit, & quæ Messiæ mortem futuraq́. Ecclesiæ mysteria præsignificabant, iam cessare iussit, quomodo cessat præludium horæ dum hora pulsatur. 4. quicquid in veteribus sacrificiis imperfectum fuerat, id vnico crucis sacrificio perfecit & absoluit. 5. cælorum ruinas luciferi peccato apertas, hac morte restaurauit: & homini-
Ioan. 1. bus dedit potestatē filios Dei fieri, his qui credūt in nomine eius, vitaque hac ex Dei voluntate perfuncta replere sedes eorum Angelorum, quos suum scelus ad inferos deturbauit. En quomodo Dominus tuus, ad Patrem migraturus, glorietur nihil se in hoc mundo reliquisse non consummatum, sed omnia quę iussus fuerat, abundè cumulateque perfecisse. Vtinam porrò in hora mortis tuę, exemplo Domini tui nihil

hil te imperfectum reliquisse possis gloriari. B.Paulus dicebat: Bonũ certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. *2 Tim.4.*
Et S. Petrus Apostolorum nomine, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Tu moriturus quid dices? qui mandata Dei violasti, bona tua in vita tua recepisti, Deo pro mercede æternæ gloriæ offerre quid poteris? Hæc expende vt mandata Domini studiosè exequaris. Cõsidera 3. Passione Christi consummata esse etiam illa quæ nos concernebant. 1. finem suum peccatum accepit, sicut Daniel prędixerat; debita omnia persoluta sunt; precium peccatorũ omnium totius mundi Deo Patri copiose annumeratum. 2. Fidelibus omnia sua bona comparata, nihil vt nobis desit in vlla gratia. 3. Ecclesiam suam nouam Rempublicam, & vineam electam perfecit. Et illa quidem iam olim à mundi exordio plantari cœpta est; sed cultura hactenus quia minus successit, Christus sua passione omnia ei ornamenta parauit; & instituto sacrificio, relictis ei sacramentis, pastoribus constitutis, conditis nouis legibus, diuisis cuique officiis, missoque in fidelium corda *Mat. 19.* *Dan.9.* *1 Cor.3.*

Spiritu ſancto, ſic eam perfecit ſicut olim prædixerat: Conſummabo ſuper domum
Hier. 31. Iſraël & ſuper domum Iuda teſtamẽtum nouũ. Multis retrò ſæculis hoc teſtamentum conſcribere cœperat, quod iam hoc verbo tanquam manus ſubſcriptione, & ſanguine paſſioneque ſua tanquam ſigillo conſignauit. 4. deſiderium ſanctorũ compleuit, & ſingulos fideles muneribus ſuis
Ioan. 17. perfectè cumulauit, quos voluit eſſe conſummatos in vnũ, ſumma charitate coniunctos, & Spiritus ſancti ſeptẽ donis repletos. Tu igitur tantis acceptis à ſponſo
1 Theſſ. 4 tuo beneficiis, eius ne deſis voluntati, quia voluntas eius eſt ſanctificatio tua; curaque vt quam in Sacramentis candidam veſtem accepiſti, & Spiritus ſancti gratiam; integram illi inuiolatamque conſerues. Conſidera 4. etiã in malis hac paſſione Chriſti nonnulla conſummata eſſe. 1. odium Iudæorum quod vlterius extendi nõ potuit. 2. malitia dæmonum, quæ in Chriſtũ nihil amplius valuit. 3. imperium diaboli, Principis huius mundi, finem accepit, vires eius confractæ ſunt, erepta ſpolia, &
Apoc. 20. ipſe in abyſſo cathena cõſtrictus, nihil iam eſt metuendus, ſed etiam puerulis irridendus.

dus. Ne igitur dæmonis metuas insultus, qui hortari minarique potest, cogere, aut nocere non potest. Considera 5. in ipso quoque Christo consummata omnia; & ipsum adeò Christum pro nobis esse consummatum, vt ait Apostolus: Cõsumma- *Heb. 5.*
tus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. 1. consummatus est sanguis, quem vniuersum ex venis tibi effudit; cõsummatæ vires quas tibi exhausit; consummata bona omnia, & interna & externa, quæ tibi obtulit. 2. consummati sunt dolores; finis impositus est malis, restãt sola bona. Itaque hoc sensu, Cõsummatum est, vox est exultantis de laboribus superatis, iã (inquit) omnia perfecta sunt; hyems transiit, imber abiit, & recessit. finis *Cantic. 1.*
est malorum & initium bonorum: quia etiam ipsum sepulchrum statim à morte *Isa. 53.*
erit gloriosum. Tu dum viuis, da operam, vt mors, mala vniuersa concludat, ad bona iter aperiat. 3. consummata est hæc mortalis vita. Iã, ait, Pater relinquo mundum, *Ioan. 17.*
atque ad te venio. Hæc eadem vox tibi aliquando dicetur: Consummatũ est; finienda est vita, & quicquid cum vita habebas, relinquendum; deserendę opes, relinquen-
di

di honores, à parentibus, vxore, filiis, ami-
Psal. 118 cis abeundum. Omnis enim consummationis vidi finẽ: &, Qui nihil intulimus in
1 Tim. 6. hunc mundum, haud dubium quòd nec auferre quid possumus. Si igitur cũ Christo nihil præter molestias & cruces in mundo habeas; si tibi mundana vt acetum sapiant, non erit ingrata vox Christi, te
Mat. 24. vocantis, Consummatum est, quia appro-
Eccl. 41. pinquat redemptio tua. Sed heu quã amara est mortis memoria, homini pacem habenti in substantiis suis?

Consummatum est.

CONSIDERA I. Christum aliquando de hac consummatione prædixisse;
Luc. 18. vt apud Lucam: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. Aliquando etiam huic consummationi aliquod principium dedisse, sicut
Ioan. 17. in vltima cœna dixit, Opus consummaui quod dedisti mihi vt facerẽ, sed in ara crucis perfectè consummata sunt omnia, neque ante crucis supplicium consummari
Heb. 9. quid poterat; quia sine sanguinis effusione nulla fit peccatorũ remissio; & testamentum non confirmatur, nisi morte testato-
ris.

ris. Conſidera 2. modum conſummationis; nempe inſignem Domini tui conſtantiam animi, & inuictam fortitudinem. 1. ipſe perfecit omnia ſolus. Torcular, ait, calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecũ; vt tu pietatis perfectionisque ſtudium non deſeras, etiam ſolus ab omnibus deſertus. videt enim, & ſubleuat Deus conatus tuos, qui ne tibi deeſſet laboranti, olim Chriſto opẽ negauit. 2. omnia membra ſua adhibuit, pœnisque repleuit, vt tu in obſequium ſpõſi tui nullis viribus parcas. 3. ad finem vſque operis perſeuerauit. Tu non rarò bonum concipis quidẽ, ſed rarò tamen aggrederis, rariùs proſequeris, rariſſimè abſoluis. Pete vt tibi largiatur Dominus fortitudinis donum, vt ne deficias in ſtudio virtutum. Conſidera 3. qua te liberalitate inuitet ad ea, quæ his laboribus conſummauit. Tauri mei, inquit, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata, venite ad nuptias. In hac enim paſſione 1. omnes inueniuntur delitię ſpirituales pro cuiuſque guſtu & neceſſitate, quod olim de manna cõmemorat ſcriptura. 2. omnium morborum eſt medicina. 3. omnium eſt ſatisfactio debitorũ. Tu igitur hac Chriſti libera-

Iſa. 63.

Mat. 22.

Sap. 16.

liberalitate fruere, totusque in eius amorem effusus, nihil aliud scire velis, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum. Considera 4. hoc verbo Consummatum est, Deum Patrem à Christo rogari, num aliquid ad perfectam nostram salutem desit; adeoque omnes creaturas, etiam hostes, quasi iuridicè citari, vt quod desiderari ad hanc consummationem putent, id ante Christi mortẽ edicant. Fatetur enim Dominus, se largiter velle persoluere, si quid adhuc desit pœnarũ. En Domini tui animum sanè liberalem. Eum precare, vt omni auaritia deposita, tibi liberalitatis hanc virtutem, eadẽ liberalitate largiatur. Considera 5. has largas Christi diuitias sic tibi paratas, vt eas ipse tibi accommodare debeas. Prãdium quidem instructum est, sed mensa tibi est adeũda, & cibus ori admouendus; medicinã confecta est, sed variis pixidibus, septem, inquam, Sacramẽtis in officina Ecclesiæ inclusa; preciũ solutum, sed necdum tibi applicatũ. Tu igitur non existimes, hic solam fidem, vt volunt hæretici, & persuasionem sufficere; pedibus proculdubio ad prandium adeũdum; manibus deinde cibus ac medicina accipienda

1 Cor. 2.

da; ac denique admota ori in ſtomachum traiicienda: ſunt, inquam, Sacramenta frequentanda, ſtudiisque virtutum inſiſtendum, vt quod pro vniuerſo humano genere effectum ac datum eſt, pro te acceptetur, tibi adhibeatur, tibique proſit. Ora Dominum, vt qui dies ſuos infinitis bonorum operum meritis impleuit, & conſummauit, dies quoque tuos inanes & vacuos nunquam tranſire patiatur.

MEDITATIO XLIII.

De ſeptimo verbo Domini in cruce.

Et iterum clamans, emiſſa voce magna ait. *Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23.*

CONSIDERA 1. Chriſtũ, quoties Patri in cruce hac pro ſe eſt locutus, clamorem edidiſſe; ad alios vel pro aliis loquentem moderatiore voce vſum fuiſſe; vt diſcas 1. magno ſemper affectu cum Deo tibi eſſe agendum. Aliis quidem nõ ſine lachrymis querelas tuas exponis: at in orationibus, nullo penè ſenſu pietatis, ſumma ariditate cum Deo colloqueris. 2. quàm intenſos pateretur dolores filius Dei, ſiquidem vi doloris, clamorem excitari nouimus.

mus. Considera 2. variis de causis Christum iam moriturum orasse clamantem. 1. vt se vitæ mortisque Dominum indi-
Ioan. 10. caret, qui potestatem haberet ponẽdi animam suam, illamque pro arbitratu iterum resumendi. Inclamauit igitur mortẽ, quæ
In Christo patiente nisi vocata (vt ait Nazianzenus) non ausit accedere. 2. vt DeumPatrem ad cõmiserationem flecteret: quia namque vniuersum genus humanum grauibus sceleribus oppressum, procul à Deo aberat, debebat is qui illius personam sustinebat, Deũ absentem magnis vocibus inclamare. Tu itaque non tam vocis contentione, quã cordis affectu diuinas aures pulsabis. 3. vt hæc vox in vniuersum orbem emissa, corda hominum cõmoueret; auditaq. Dei sui pro ipsorũ flagitiis morte, peccatorũ dolorem concitaret. Ideo namque ad hanc vocem concussa est terra, scissæ sunt petræ, aperta sunt monumenta, vt saxeum cor tuum vi vocis diuinæ aliquando rumpatur. Non sine causa dixit Marcus [emissa voce,] vt intelligas in orbem missam, etiamnum in cordibus hominum operari. 4. vt infernus hac voce contremisceret: & sicut ad cla-
Ioan. 11. morem Domini euocantis Lazarum, sine mora

mora animam Lazari in corpus remisit, ita nunc se vnusquisque illic, ad excipiendum iam iam venturum Dominum, præpararet. Exultauerunt igitur ad hãc vocẽ sancti patres in limbo; contremuerunt dęmones in inferno. 5. vt te doceret quanã ratione de morte tibi sit meditandum, non remissè aut oscitanter, quasi de re quæ ad te non pertineat; neque tardè, quasi longissime absit; sed frequenter ardentiq. desiderio, vtpote quæ & certissima sit, & maximè vicina, eoq. ardentius, quòd vna sit ianua salutis. Cõsidera 3. hora nona Dominum in hunc erupisse clamorem; hora, inquam, orationis, & sacrificij vespertini. *Act. 3.* Vera enim hostia tunc in cruce mactabatur, atque in duas dissecta partes, animam inquam & corpus Deo Patri à summo sacerdote magnis vocibus, magnoque conatu immolabatur. Tu preces tuas cũ Christi oratione coniungas, vt cum illius voce penetrent aures paternas.

Pater in manus tuas commendo spiritum meum. *Luc. 23.*

CONSIDERA 1. Christum pro se Patrem non nisi scripturæ verbis in cruce orasse 1. quòd sciret hæc verba Deo acce-

 ptissima,

priſſima, authore Spiritu ſancto ad orandum conſcripta. 2. vt te doceret non tuo iudicio & ritu Deũ colere, ſed illo, quem Spiritu ſancto imbuta Eccleſia tibi tradit. Conſidera 2. Hanc vocem [Pater] bis tantùm in crucis ſupplicio Chriſtũ vſurpaſſe, in prima & hac poſtrema oratione. In media autem, hoc eſt quarta oratione, nõ Patrem, ſed Deum compellaſſe 1. vt quæ Deus flagella tanquam Pater immittit, ea tu, vt bonum decet filiũ, grato animo ſuſcipias; tamẽ in flagellis agnita vilitate tua qui nõ ſis dignus vocari filius Dei, Deum vt vilis creatura immenſum creatorem inuoces. Siquidem tribulationes & res aduerſæ viros bonos conditionis humanæ, ſuæque vilitatis admonent, & ad meliora inducunt, ac ſubinde compellũt; demum in fine, ſuperatis malis, reſumpto animo gaudeas vt filius: probatio enim ſpem operatur, quæ nõ confundit. 2. quia initia diuini ſermonis mentem ſuauiſſimè afficiũt; progreſſus ſunt ſenſualitati difficiles; ſed fructus denique lõgè ſuauiſſimi colliguntur. Liber in ore Ioãnis vt mel dulcis erat, ſed ſumptus amaricari fecit ventrem eius. 3. quia in prima oratione, quando pro pecca-

Rom. 5.

Apoc. 10

peccatoribus orabat, filij affectu orationi authoritatem conciliare debuit. Pro tantis enim flagitiis non poterat nisi filius exaudiri: in media questus vt homo; in hac postrema, legatione iam perfunctus, postulat vt filius, ad Patrem reuocari. Considera 3. hanc orationem à Christo Patri factam, non metu iudicij; quia iam omne iudicium à Patre ipsi commissum erat; non timore diaboli, cuius vires iam cõfregerat; non pœnarum gehennæque formidine, quas à bonis tollere, & inferni spolia diripere veniebat. Sed 1. vt te inuictum ab oratione spiritum doceret non relaxare. 2. vt quanta fiducia ad Deum Patrẽ proficisceretur, tu cognosceres. Non enim anxiè supplicis more ait, rogo te Pater; sed iure meo, & quasi authoritate cõmendo spiritum meum. Cõsidera 4. & expende singula huius postremæ orationis verba, quæ à Spiritu sancto olim in hunc vsum composita, vnica voce Patris addita, à Deo filio ad Deum Patrem recitantur. [Pater] 1. in his tantis pœnis mansi filius, nihil de pietate in te aut charitate remisi. 2. filius ego tuus ad te ex legatione difficili reuertor, ex cruento hoc bello reporto victo- *Psal. 30.*

 riam,

riam, adfero ſpolia. Quam tu mihi mercedem dabis, quam gloriam apparabis, quem decernes triumphũ? Imperatores Romani cum victore exercitu triũphabant. Lazarus mendicus cui micæ de menſa diuitis negabãtur, curru triumphali, manibus, inquam, angelicis in ſinum Abrahæ vehebatur; & mihi filio tuo quid gloriæ dabis? ego dignitate præſtantior, quia filius; plus cæteris laboraui, quia ſanguinem exhauſi; plus periculi ſubiui, quia ſolus cum hoſte decertaui; plus inopiæ ſuſtinui, cui nec aquæ guttula conceſſa fuit; fortiores hoſtes ſuperaui, qui Principem huius mundi ſubegi, penituſque fregi, & foras eieci; denique ampliora reporto ſpolia, tot animarum ſanctarum milia, quas diabolo eripui; vniuerſumque terrarum orbem tuo imperio ſubiugaui. Quid ergo tanto victori parabis? [In manus tuas.] 1. vt ſacrificia Dei manibus offerũtur, ſic ego animam meam ſacrificij adipem pinguiſſimum manibus tuis, ſummus vtique ſacerdos, offero. 2. hactenus animæ ex hac vita non in manus diuinas, ſed in ſinum Abrahæ, ad loca inferorum emigrarunt; ego primus cupio manibus tuis excipi, & iiſdẽ in poſterum

Luc. 16.

ſuſcipi

ſuſcipi diſcipulos meos. 3. hic ſpiritus meus ad inferos deſcenſurus, ad Patres liberandos, non carebit diuinitate; ſed ſicut in eandem perſonã diuina natura humanam aſſumpſit, ita manebit & cũ corpore in ſepulchro, & cum ſpiritu in inferno 4. manibus tuis commendo, vt eum gloria dones, & præmiis exornes. [Commendo] vel vt Græcis eſt, Commendabo, hoc eſt iam ſtatim tibi emittam. 1. hactenus neque corpus iſtud, neque anima mea magnopere viſa ſunt tibi cõmendata fuiſſe, quia & corpus hoſtium manibus relictum fuit, & anima triſtis ad mortem vſq. fuit in manibus meis ſemper, innumeriſq. malis, mortique expoſita. Hactenus enim ſolorum mancipiorum curam habuiſſe videris, filiũ neglexiſſe, quia vt ſeruum redimeres, filium vnigenitum tradidiſti. nũc tandem etiam ſpiritum meum commendatum habeas. 2. commẽdo, hoc eſt, apud te depono poſt triduũ reſumendũ. 3. nemo eum tollit à me, quia nulla neceſſitate cogor mori inuitus, ſed ego eum pono & cuſtodiẽdum trado. [Spiritum meum.] non dicit, Animam meam, quam cum iumẽtis habemus communem, ſed ſpiritum *Pſal.* 118

1 Cor. 2. meum, quia animalis homo (ψυχικὸς) non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei. In Chriſto ſpiritus, hoc eſt, ſuperior pars, animam quaſi in ſe cõuerterat, vt nihil inferior homo niſi ad mentis dictamen vel ageret vel concupiſceret. Tu Deum Patrem ora, vt cum ſpiritu filij ſui, tuum quoq. ſpiritum ſemper habeat commendatum.

In manus tuas commendo ſpiritum meum.

CONSIDERA 1. ſpiritum quidẽ Chriſti cõmendatione apud Patrem nõ eguiſſe, eum tamen Patri commendatum, vt fideles omnes ac pij hac Chriſti oratione norint ſe Deo commendatos. Hos enim ſpiritus nomine compellat Dominus, qui
Ioan. 3. eius ſpiritu ſunt imbuti. Qui, inquit, natus eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt; ſicut impij qui
1 Tim. 4. diaboli ſpiritu reguntur, appellantur ſpiritus dæmoniorum. Tu porrò à teipſo inquire, quis in te ſpiritus dominetur, Chriſtíne an dæmoniorum; & rurſus an ſpiritum in ſe anima commutarit, vt nõ multũ à brutis diſtare videaris; an verò ſpiritus Domini animam ſibi plenè ſubiectã obtemperantemque habeat; quia enim ſer-
Heb. 4. mo Dei viuus & efficax pertingit vſque ad diuiſio-

diuisionem animæ & spiritus, in mortis hora diligens inquisitio fiet, quid spiritus sit operatus, quid anima; & illi soli commendati erunt Deo, qui acti fuerint spiritu Dei. *Rom. 8.* Considera 2. Si nos Christus commendat Patri, quòd nos conueniat esse sedulos, vt eidem nos quoque animas nostras commendemus in benefactis. *1 Pet. 4.* Curremus itaque 1. vt quod in animis nostris Spiritus sancti gratia operatur, diuinis quasi manibus conseruetur, formetur, & perficiatur. 2. vt spiritus noster in cęlis frequens versetur, neque terrenis rebus vllis adhærescat. Si enim illic sit mens nostra (ait B. Augustinus) hic erit requies. 3. vt *Ser. 175. de temp.* suis nos manibus Deus cõtineat, iuxta illud: Iustorum animæ in manu Dei sunt; *Sap. 3.* neque possit nos quisquam rapere de manibus eius. *Ioan. 10.* 4. vt spiritus noster de hac vita migraturus Dei manibus tradatur coronandus; & futuræ corporum resurrectioni conseruandus commendetur. Considera 3. Ecclesiam Dei quæ Christi spiritu informatur & regitur, hac sponsi sui oratione, Deo Patri sic esse commendatã, vt portæ inferi aduersus eam præualere nõ possint. *Mat. 16.* Tu igitur ab illa nequaquam separa-

re, nisi in hostium manus incidere placeat; sed eius spiritu, fide, gratia, Sacramentis, animæ vitam salutemque tueare. Considera 4. hac oratione tibi commendari. Primò quidẽ donũ timoris Domini; deinde verò aduersus acediæ vitium sedulam pietatem. Si enim Christus Dei Filius Patri suo spiritum suum vehementi oratione commendauit: tu non modo orabis, sed
Philip. 2 cum metu & tremore salutem tuam operaberis. Ora igitur Dominum, vt animæ tuæ curam gerat; & cælestia potius bona spiritui, quàm corpori terrena largiatur.

MEDITATIO XLIIII.

De morte Christi.

Luc. 23. *Ioan. 19.* Et hæc dicens, inclinato capite tradidit spiritum.

CONSIDERA 1. quo fine vitam suam sponsus animæ tuæ cõclusit. Solent morientiũ vultus, gestus, & verba ab astãtibus obseruari: solent & matres filiorum procul abeũtium oculos, & oris habitum notare: & qualem conspexerint discedentem frequenter mente versare. Tu in cuius gratiam Filius Dei mortem suscepit, ad hanc

hanc crucem accede; omnia oculis mentis intuere diligētius, & frequēs de illis misce sermonem. Considera 2. clamantem inclinauisse sacrū caput. 1. quia voce & nutu capitis te vocauit, vt crucis discas vtilitatem, eam non refugias, eius merita & commoda accipias, 2. vt tibi in aurem loquatur, secreta sua tibi cōmendet, doceatq́. præcepta & consilia sua. 3. vt petitionibus, orationibusq́ue omnibus tuis, quæ sacrę huius passionis meritis innitūtur, capite & assensu annuat. 4. vt tibi commodiùs hoc caput inspicere, singulaq́ue accuratè cōtemplari liceat, spinas, sputa, cruorem, oculos ad peccata tua iam clausos, os ad damnationem & vindictam silens, faciem morte pallentem. Considera 3. Euangelistas diuersis verbis hanc mortē Domini conscripsisse. Ioannes dixit, tradidit spiritum. Matthæus, emisit spiritum. Marcus & Lucas, expirauit; vt tu non communi aliorum hominum more, sed singulari prorsus modo Christum migrasse scires; neque enim inuitus, aut alio compellēte, sed voluntate sua reddidit spiritum. Vocula porrò [tradidit] significat 1. quòd spiritum in manus Patri dederit, hoc tri-

duo aſſeruandũ, ex eoq. humano generi, omnia merita, omnes virtutes, omnẽ iuſtitiã & gratiã colligendã. 2. quòd ſicut corpus iam dederat tortoribus, ita nunc quoque nobis traderet animam, ne quid nobis ad omnem fælicitatem deeſſet. Dederat veſtes, dederat honorem, & boni nominis exiſtimationem, dederat corpus, dederat ſanguinem; reſtabat adhuc danda anima,
Iſa.9. vt iuxta Iſaiæ vaticinium totus filius nobis daretur. 3. quòd integrũ precium tradat noſtræ redemptionis. Hactenus enim aliquid dederat, & quaſi per partes ſoluerat; hic iam ſolutionem abſolutiſſimè perfecit; vt diſcas te tuum nõ eſſe, ſed Chriſti, qui ſuis membris, tua; ſuis potentiis, tuas; ſuo honore & opibus, tuas; ſuo corpore, tuum; ſua anima, tuã quaſi ἀντιλύτρῳ mercatus eſt ſibi, & redemit. Hęc ſi expendas, diſces 1. teipſo tuiſque bonis, non ad tuas voluptates abuti, nec ea ad dæmonis voluntatem abſumere, imò ne illis quidem vt tuis vti, ſed ad Chriſti ſolius gloriam, cuius omnia ſunt, conferre. 2. te ſemel hac morte poteſtati dæmonis ereptũ, & Chriſtiana libertate donatum, illi non amplius reddere. Nihil enim in te iuris habet, quẽ Chriſtus

Christus tam carè, sanguinis (inquam) & mortis precio redemit. Tu Domino tuo gratias age, teque ipsum tuaque omnia, vt par est, ex animo consecra.

Expirauit. *Mar. 15. Luc. 23.*

CONSIDERA 1. hac voce significari, Christum vltimũ spiritum efflauisse, quo spiritu & sacro anhelitu, 1. hunc aërem dæmonibus infestũ repurgauit, cuius spiritus virtute in exorcismis, & exufflationibus dæmones fugantur. Igitur sicut sacro corpore Domini terra sanctificata est; & sacro sanguine & aqua de latere manante, aquæ elementum omnesque liquores; ita diuino Christi spiritu consecratus est aër, vt sensibus nostris diuina verba & sacra mysteria vtilius deferat, atque inspiret. 2. huic mundo non solùm per sacra corporis vulnera, sed per os etiam suũ interna sua charismata & gratias communicauit.

Considera 2. Christum multis de causis non solùm supplicia, sed mortem quoque sustinere voluisse. 1. vt se sacrificiũ & holocaustum Deo per mortem immolaret. 2. vt debitam tibi æternam mortem, hac sua infiniti precij morte redimeret. 3. vt omnia Sacramenta sua, nouumque Testamentum

mentum sua morte confirmaret. 4. vt hac sua, vtpote summi Pontificis morte iuxta
Num. 15. veterem figuram, te ab exilio ad cælestem patriam reuocaret. 5. vt illi deberi te scias, qui pro te mortuus est; nō autem diabolo, qui pro salute tua nec vulnera, nec mortem sustinuit. 6. vt mundo te mortuum cum Christo putes, vitiaq. tua & affectus
2. Cor. 5. mortifices; Si enim (ait Apostolus) vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Considera 3. ætate florente Christum obiisse, annos natum tres & triginta, quādo & sensus vigent, & calor feruet, & vires ferendis laboribus sufficiunt. 1. quia cupiebat tibi florida omnia dare, amoris æstum in te conseruare, & magnis tibi viribus multa parare. 2. vt tu in extremam & aridam senectutem vitæ mutationem ne differas, sed iuueniles annos & vires Christo consecres. Considera 4. quòd hora sexta cruci affixus sit Dominus, & hora nona, inclinante iam die mortuus. 1. quia qui antecedentibus sæculis in sacrificiorum figuris fuerat immolatus, hac quarta mundi ætate verè pro nobis mortem oppetiit. 2. vt tu qui cæteras vitæ tuæ ætates minus fortasse vtiliter & honeste

nestè expendisti, saltem sub exitum vitæ ad Domini mortem confugias. Magnum solatium peccatoribus datur, quòd qui vel ætate, vel morbo, vel animo lãguidi, grauibus iam pœnis à se exigendis, satisfacere peccatis suis non possint, Christi pœnas, sanguinem & mortem habeant, quæ Deo Patri pro suis offerant delictis. Age gratias Deo, & tantum thesaurum ne contemne.

Emisit spiritum. *Ioan. 19.*

CONSIDERA I. hic iterum significari in Christo moriẽdi libertatem. Sicut enim olim Noë ex arca columbam emisit, quæ *Gen. 8.* post horas aliquot reuersa est, ore gestans ramum virentibus foliis; ita Christus spiritum suum emisit, post triduum redditurum cum exercitu virentium Sanctorum; Emisit ait, non, amisit, vt tu cum impiis ne perdas animam tuam. Considera 2. vt spiritum hunc egressurum præstolati sint dæmones, cæteris animabus, communi omnium lege in inferno coniungendum. Hoc enim significare videtur Euangelista, quãdo diabolum in triplici tentatione & certamine victum, dixit recessisse ab illo vsq. ad tempus, quasi etiam hoc mortis tem- *Luc. 4.*
pore

pore reuerſurum. At verò quia princeps mundi huius in Chriſto non habuit quicquam, arctiſſimis vinculis conſtrictus à victore Chriſto, deuectus eſt in infernum, æterno carceri mancipandus. Conſidera 3. glorioſum agmen Angelorum, qui non tam deferebant, quàm proſequebantur Chriſti animam ad inferos deſcendentem. Conſidera 4. Chriſti ad inferos aduentu, horrida tenebris loca noua luce fuiſſe illuſtrata; ſanctos Patres obuios aduolaſſe, de redemptionis beneficio pro ſe ingratiſque filiis gratias egiſſe; noua deinde omnes ſtola indutos, atque ad diuinæ naturæ contemplationem admiſſos eſſe; & prius quidem infernum, quàm cælum Beatorum ſedem beatis animabus repletum. Conſidera 5. quid hic iſto triduo Dominus tuus perfecerit: Acceptam à Patre poteſtatem in cælo & in terra, ab infimo orbis loco exorſus eſt. Itaque primò dæmonem magna ſapientia, & virtute deuictum, dignis ſuppliciis cũ cæteris hoſtibus ſuis affecit. Secũdò leges nouas inferno ſtatuit; ne quis Sanctorum eò deferretur, in poſterũ cauit. Tertiò loci putentis os obturauit, & ne quid

ad

ad mortales inde mortalis fœtoris exhalaret, conclusit. Quartò sanctis Patribus tot iam antè sæculis promissam attulit salutem, & his qui in carcere erant spiritibus prædicauit, hoc est, pacem annuntiauit, etiam illis, qui propter incredulitatem, cæteraque peccata, diluuio aliisque malis castigati, ante mortem seriò conuersi fuerant. Tu roga Dominum, vt in morte tua dæmonis vires cohibeat, tibique veram consolationem & pacem ferat. 1 Pet. 3.

MEDI-

MEDITATIO XLV.

De signis in morte Christi.

Mat. 27. *Mar.* 15. *Luc.* 23. Et ecce velũ templi scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum.

CONSIDERA 1. Christo spiritum cum clamore emittẽte, creaturas simul omnes, creatori suo ob partam tam insignem ab hoste victoriam congratulantes, strepitus atque fragores edidisse, simulque pertinacibus animis impiorum terrorem incussisse, ad eum fere modum, quo tormentis bellicis displosis publicam lætitiam indicamus. Considera 2. hoc strepitu omnia aperiri, tabernaculum, terram & saxa resolui, adeoque mõtes ipsos (vt ait B. Athanasius) disrumpi, *Lib. de incarnatione verbi.* 1. quia saccus gratiæ tot vulneribus apertus hac Domini morte largissimè sua dona effudit, & ad cordis vasa aperienda omnes inuitauit. Tu ergo tibi ipse ne desis, & à tam sacro imbre te ne subducas. 2. quia creaturæ omnes in vltionem impiorum se paratas exhibent, Deoque suo etiam viscera offerunt. Considera 3. velum templi scissum. 1. quia morte hac Domini veteris testamenti myste-

mysteria, tam variè hactenus adumbrata, & contecta, nunc tandem velo sublato in aperta luce refulserũt, & septem Christi vulneribus manuum, pedum, lateris, capitis ex corona, & totius corporis ex flagellis reserata & adimpleta fuerunt; templumque ipsum & sacrificia legalia, omni iam sanctitate destituta & prophanata manserunt. 2. quia iam patefactus est aditus in Sancta sanctorum, cælestem inquam patriam. 3. vt significetur templum ipsum pro synagoga, Christi mortem lugere, grauemque blasphemiam Iudæorum detestari, & quo dolorem suum significet, & indignationem, velum ceu vestimenta sua scindere. 4. vt tu memoria mortis sponsi tui velum tollas excusationum à corde tuo, interioraque omnia, sublato velamine, aperias Domino; nihil in confessione sacerdotem celes, nec pietatis velum nequitiis tuis prætendas. Etenim certissimè, & vicina planè morte velum corporis tui dirumpendum est, totique orbi turpitudo tua clarissimè reuelanda.

Mat. 17. Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt.

CONSIDERA 1. terram in morte Domini commotam fuiſſe, & contremuiſſe. 1. horrore tanti flagitij. 2. quia mundi Princeps, qui terram ſeditionibus & malis concutere ſolebat, magno iam impetu in gehennam præcipitabatur. 3. quia immenſæ maieſtatis Deus intima terræ viſcera penetrabat, ad cuius aduentum in montem Sina, mons ipſe quaſi venerabundus contremuit, atque fumauit. 4. quia per mortem Dominicam commouenda erant terrena hominum corda, atque ad Chriſtum ex locis ſuis transferenda. 5. quia noua lex Euangelica erat in terram inducenda. Tu hic ſi mota terra Chriſti morte nihil commouearis, terram ipſam ariditate ac frigore planè ſuperaſti. Conſidera 2. petras ſciſſas. 1. quia Chriſtus lapis angularis, & qui in veteri petra ſignificabatur, iam ſciſſus erat, anima à corpore diuulſa, & corpore ipſo variis vulneribus conſciſſo. 2. quia hominum corda ſaxis ipſis duriora ſanguine Chriſti, qui verus eſt hircus, typico hirco præfiguratus, emollienda erant,

Exo. 19. 20.

Epheſ. 2. 1 Cor. 10.

erant, ſicut hirci ſanguine adamantis duritie emolliri & ſubigi dicitur. Conſidera 3. peccatorum conditiones in terra & lapide ſatis commodè declarari. Vt enim terra frigida eſt, ſordida, infima, & niſi labore hominum excolatur, ſterilis redditur, vt præter zizania nihil producat; lapis autem durus, grauis & moleſtus: ad eundem modum peccatores variis ſordibus inquinati, omnibus ſibíque ipſis graues ac moleſti redduntur. Tu Dominum roga, vt cor tuum aperiat, fontes lachrymarum educat, illudque tandem in minutiſſimas partes conterat, quo & ad omnem Dei voluntatem formetur, gratiæque diuinæ imbibat liquorem.

Et monumenta aperta ſunt; & multa corpora Sanctorum qui dormierant ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, introierunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. *Mat.* 17.

CONSIDERA 1. hoc ſigno omnium maximo ſignificatum eſſe, 1. Chriſtum Dominum morte ſua apertis inferorum portis, ſanctos Patres qui concluſi detinebantur,

bantur liberos emisisse, inferniq́ue portas confregisse, ne quis in posterum sancto-rum illic cohiberetur. 2. eadem morte fœtentia cordium sepulchra aperienda esse, vt inde fœtor omnis mortis & peccatorum liberè exhalet, & dissipetur. 3. corpora iustorum quandoque ad gloriam resurrectura, & cum Christo sine fine victura. Considera 2. tametsi in morte Domini sepulchra aperta fuerint, sanctos tamen nisi post Christum, qui est primogenitus mortuorum, non resurrexisse,
Coloss.1. quia (vt ait Apostolus) [Dominus tra-
Rom.4. ditus est,] seu occisus [propter delicta nostra: resurrexit autem propter iustificationem nostram,] hoc est, morte persoluit precium peccatorum, sed resurgens tibi hoc precium applicuit prædicatione Apostolorum, fide mortis & resurrectionis eius, Christianorum Sacramentis, aliisq́ue mediis post resurrectionem admotis. Considera 3. sanctos istos siue iterum morituros, vt putant veteres, siue perpetuò cum Christo victuros, vt existimant plerique recentiores, resumptis corporibus apparuisse multis, vt veri testes essent resurrectionis Domini, qui eadem

eademfacilitate atque virtute iam recèns extincto corpori, animam reſtituere poterat, qua corpora patrum tot annos in cineres redacta, ad vitam reuocauit; vt tu in omnibus anguſtiis fiduciam in Deo collocatam habeas, cui conſtat nihil impoſſibile eſſe. Conſidera 4. non apparuiſſe omnibus, ſed multis; neque enim omnes digni ſunt ſanctorum conſortio. Conſidera 5. veniſſe in ſanctam ciuitatem (foris enim mortui ſepeliebantur) hoc eſt, Hieruſalem, templi & ſacrorum religione ſanctificatam; quia per Chriſtum iam ipſis in cæleſtem Hieruſalem aditus patebat. Conſidera 6. his ſignis quinque illos Dominicæ paſſionis effectus fructuſque contineri, quos in anima peccatoris diuinum verbum operatur. Nam 1. diſrupto velo, & diſcuſſis ignorantiæ tenebris, clarè veritas eluceſcit, futuri quoque ſeueritas iudicij mentis oculis obiicitur; & æterna diriſſimaque inferni tormenta cogitatione pertractantur. 2. terra commouetur, dum hiſce cogitationibus mens humana ſalutari perculſa timore terretur. 3. cor ſaxeum ad pœnitentiam emollitur. 4. confeſſione pecca-

torum ex aperto ſepulchro fœtor omnis euaporat. 5. reſtituitur ſpirituali vitæ animus, quam etiam foris morum honeſtate prodit, non ſine bonorum conſolatione, qui cum ipſis Angelis de peccatorum gaudent conuerſione. Roga Dominum, vt ſecum te reſurgentem, nunquam peccatis mori patiatur.

MEDITATIO XLVI.

De conuerſione Centurionis.

Mat. 27. Mar. 15. Videns autem Centurio, qui ex aduerſo ſtabat, & qui cum eo erant, cuſtodientes Ieſum, quia ſic clamans Luc. 23. expiraſſet; & viſo terręmotu, & his quæ fiebant, timuerunt valde.

CONSIDERA 1. quàm velociter ſanguis Chriſti ſuas exerat vires, oratione præſertim tam efficaci Deo Patri oblatus, qua pro crucifigentibus rogauit. Quæ enim terræmotu aliiſque ſignis indicabantur, eadem hic in animis hominum perficiuntur. Tu ſpem firmam concipias, eum tuis neceſſitatibus nunquam defore, qui

qui etiam carnifices ſuos ad pœnitudinem reuocauit. Conſidera 2. qui omnium primi à morte Domini ad fidem conuertantur. 1. [Gentiles idolorum cultores:] quia iam tum Eccleſiam gentium Dominus adamabat, ad quam, prætermiſſis Iudæis, ſua myſteria transferre ſtatuerat. 2. [carnifices, milites, homines infames;] vt ſcias nullum tam graue à quoquam admitti flagitium, cui non ſtatim ignoſcere paratus ſit Dominus; vtque eius manſuetudinẽ diſcas, qui ſicut nullam indignationis in ſuos hoſtes ſignificationẽ dedit, ita maximo charitatis affectu, eos primos ad ſe attraxit. 3. [Romani:] quia enim Romana fides & religio vniuerſam Eccleſiam moderatura erat, decuit eam ſub cruce Dominica Chriſti ſanguine & morte dedicari.
4. [Centurio ex aduerſo ſtans, cum ſuis qui cuſtodiebant Ieſum.] Romani enim Principes & Imperatores, vt Chriſti fidem grauiſſimis initio perſecutionibus opprimere conati ſunt, ita eandem ſemel agnitam, ſua poſtmodum authoritate latiſſimè propagarunt, armiſque defenderunt. Conſidera 3. conuerſionis

causas & modum. 1. ex aduerso stantes, custodiebant Iesum. 2. audiebant clamorem expirantis. 3. videbant terremotum, & cætera diuinæ potestatis testimonia. Tu igitur si conuerti velis, 1. Christi mores, gestus, vitam & verba diligenter
Rom. 15. excuties. Omnia enim quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.
2. eiusdem ardentissimam charitatem admiraberis, quæ tantos tibi, tuæque saluti impendit labores, hac spe sola, vt magno clamore & desiderio vocantem, tu ad beatitudinem sequereris. 3. eiusdem omnipotentiam & maiestatem attendes, cui omnes creaturæ obsequuntur, vt vel timore commouearis ad pœnitentiam.
Considera 4. Centurionem conuerti cum suis, quo intelligas quantum in superioribus ad subditorum conuersionem sit momenti. Considera 5. timuisse omnes,
Prou. 1. quia initium sapientiæ est timor Domini, & principium conuersionis ferè à timore ducitur. Tu Dominum precare, vt horum exemplo ad saniorem mentem adducaris.

Luc. 23. Et glorificauerunt Deum, dicentes:
Mat. 27. Verè hic homo iustus erat. Verè hic
Mar. 15. homo Filius Dei erat.

CON-

CONSIDERA 1. hunc primum crucis Dominicæ fructum, qui eſt, vt Deo ſua gloria fide integra tribuatur, & quidem à carnificibus ſuis. Magna ſanè virtus & bonitas Domini, qui tortorum crudelitatem tanta facilitate in manſuetudinem commutauit, laudeſque ſuas, officium (inquam) Angelorum, à carnificibus celebrari voluit. Conſidera 2. Romanos iſtos corde credidiſſe ad iuſtitiam, quando per veram fidem timuerunt valde; & ore confeſſos eſſe ad ſalutem, Chriſtum verum hominem ſine labe peccati, & verũ Deum Filium veri Dei: quia Romanæ Eccleſiæ munus futurum erat, integram fidem retinere, eamque per vniuerſum orbem propagare. Conſidera 3. ingens miraculum, quòd in morte infami & atrociſſima ille à Gentilibus agnoſcatur Deus, qui præ corporis deformitate vix homo videretur. *Rom. 10.*

Quia ſanguis Chriſti nobis ea credenda perſuadet, quæ omnem fidem humanam excedunt. Tu Dominum ora, vt ſanguinis ſui merito fidem tuam confirmet, & augeat.

Et omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculũ iſtud, & videbant *Luc. 23.*

quæ fiebant, percutiẽtes pectora sua reuertebantur, stabant autem omnes noti eius à longè, & mulieres multæ, de longè aspiciẽtes, quę secutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei. Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome mater filiorum Zebedæi, & aliæ multę, quæ simul ascẽderant Hierosolymam.

Mat. 27.
Mar. 15.

CONSIDERA I. Dei bonitatẽ qui horum hominum malas cogitationes ad ipsorum vtilitatem cõuertit. Ad spectandum, ad irridendũ, ad blasphemandũ venerant, mente subitò in melius commutata, dolentes & percutientes pectora sua reuertuntur. Tu cõfide, eiusdẽ bonitate opera tua bona ad salutem tibi conuertenda, quando illis etiã profuerunt mala. Considera 2. Romanis militibus Christũ voce laudantibus siluisse Iudęos, quia futurum erat vt Gentes Christi Ecclesiam regerẽt, Deiq. laudes vbiq. prædicarẽt, Iudæis tacentibus. Considera 3. ab his pectora sua tũdi, quia si ad te fructũ passionis deriuari velis, opus est aliquid ex pœnitentiæ laboribus assumere. Sicut enim cineres nõnul-

lo

lo infecti humore, copiam deinde maiorem facilius admittunt, penitusque madescunt, quàm si prorsus aridi aquis perfundantur: ita qui ad Christi imitationẽ molestias suscipit, passionis Dominicæ fructũ capit. Considera 4. Iudæos hos agnoscere quidem Christi dignitatem, suique peccati grauitatem, sed eàm tamen verbis fateri noluisse. Sũt enim permulti, qui stimulis quidem aguntur conscientiæ, sed vel superbia vel malitia impediti, confiteri peccata recusant. Cõsidera 5. à longè stetisse amicos & notos, illasque mulieres, quæ Domino in Galilæa ministrauerant. Vt discas 1. mercedem hanc à Christo rependi eleëmosynis, vt ad crucem vsque perseuerent. Quia eleëmosyna addit fiduciam, & non patitur animam ire in tenebras. *Tob.4.* 2. quonam pacto in hoc mundo amicos suos remuneret Christus, nempe vt per multas tribulationes intrẽt in regnum *Act. 14.* Dei. Cæterùm à longè stant: minimum est enim quod sustinent, si eorum molestiæ cum Christi passione conferantur. Tu Christum precare, vt cruce sua insignitum, amicorum te numero adiungat.

MEDI-

Figura
Exodi 12

MEDITATIO XLVII.

De aperto Christi latere.

Ioan. 19. Iudæi ergo (quoniam parasceue erat) vt non remanerent in cruce corpora Sabbatho (erat enim magnus ille dies Sabbathi) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo.

Deut. 21. CONSIDERA I. legis mandato suspensos in ligno, ad vesperam sepulturæ beneficio donari solitos, cùm qui rei alio mortis genere afficiebantur, quasi sepultura indigni, vel lapidibus obruerentur, vel bestiis deuorandi relinquerentur.

1. quia nouerat summus legislator Deus, filium suum eo mortis genere perimendum. 2. quia noluit misericors Deus, qui non punit bis in idipsum, duplici maledictione & infamia reos notari. Quia enim maledictus erat omnis qui pendebat in ligno, statuit eos saltem à morte honore

nore ſepulturæ afficiendos. 3. vt qui crucem (Chriſti, inquam, ſupplicium) ſuſtinent, dum viuunt, iidem cum Chriſto ingentem ſibi gloriam poſt mortem norint reſeruatam. Conſidera 2. non hac lege, ſed ſequentis diei ſolennitate motos Iudæos: quia impij quædam ſubinde præclarè agunt, non quidem vt Deo obtemperent, eiuſque ſubſeruiant honori, verum vt honorem ſuum exiſtimationemque commendent. Conſidera 3. mortua corpora ſabbatho, in patibulo relinquenda non eſſe, vt tu nunquam quidem animam mortuam circunferas, ſed ſacris præſertim diebus, ab omni eam maledictione exiſtimes repurgandam. Tu porrò non tantùm mortuam geris, ſed feſtis, Deoque conſecratis diebus etiam crudelius quàm cæteris obiicis maledicto, & occidis. Conſidera 4. hoc pietatis cultuſque diuini prætextu aliud voluiſſe Iudæos, vt nimirum Chriſtum, quem exſpiraſſe ignorabant, grauioribus tormentis de hac vita tollerent: vt diſcas 1. illorum hominum quos malitia à Deo planè ſeparauit, impietatem augeri, iuxta illud: [Mali autem homines, & ſeductores profi-

2.Tim.3. proficient in peius.] 2. quàm immitis per se in malos sit futurus humani generis hostis, in regno suo, qui tantoperè sæuiat per ministros in alieno. Ab eius itaque tyrannide tibi cauendum puta, quæ nec modum, nec finem nouit. Considera 5. bonum ac malum latronem commune sustinuisse supplicium; sed ille supplicio peccata deleuit, gloriamque sibi comparauit; hic supplicio æterno gehennæ, supplicium commutauit temporale. Disce itaque, quam mundus & diabolus cultoribus suis reddant mercedem, nempe grauia supplicia, & æterna tormenta gehennæ: sicut huic latroni, qui in Christum (quo Iudæis placeret) blasphemus fuerat, ab iisdem tamen non minus tormentum est irrogatum, quàm si Christum commendasset. Tu fac Christo adhæreas, & boni latronis exemplo omnes ex animo pœnas in peccatorum tuorum satisfactionem inflictas suscipias: Deumque roges, vt hic vrat, hic secet, ne in æternum puniat.

Ioan. 19. Ad Iesum autem cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea

lancea latus eius aperuit, & cōtinuo exiuit ſanguis & aqua.

CONSIDERA 1. milites accepto à Præſide mandato, plenos crudelitate ad cruces feſtinaſſe, diligenterque, an aliquod adhuc eſſet in Chriſto vitæ ſignum, exploraſſe. Hoc enim ſi deprehendiſſent, idem vtique ipſi intuliſſent ſupplicium. Conſidera 2. cuiuſmodi fuerit hoc vulnus. Non enim ait ſcriptura, latus percuſſit, aut vulnerauit, ſed, latus aperuit, (ſicut annotauit B. Auguſtinus) vt immanitas vulneris ſignificaretur, quod ſic totum aperuit latus, vt illi quoque manum ſuam B. Thomas inferre ſit à Domino iuſſus. Conſidera 3. cur Dominus hoc vulnus accipere, iam mortuus pro nobis, voluerit: nempe 1. vt nihil morte ſua de amore remiſiſſe oſtenderet, paratumque ſe offerret, iterum & ſæpius pati, ſi ad ſalutem tuam neceſſum fore putaretur. 2. vt iuxta B. Cyprianum, quidquid erat humoris aquei reliquū, exprimeret, & quidquid in corde reſederat ſanguinis, effunderet, nihilque ſibi reſeruaret. 3. vt cordi ſuo amoris tui ſignum inſcriberet, teque nunquam de corde deleret. 4. vt ſicut

Trac. 120 in Ioan.

Ioan. 20.

Serm. de duplici Martyrio.

Num 20 Cum Moyses virgā percuteret silicem egressae sunt aquae largissimae

ſicut ex latere dormientis Adami educta eſt Eua; ita ex latere Chriſti dormientis, educeretur Eccleſia. Siquidem ex latere exiuit ſanguis & aqua, quibus tũ Baptiſmus ſignificabatur, per quem fideles generantur, abluti corpus aqua, & anima purgata ſanguine, tum Euchariſtiæ Sacramentum, quo fideles in Chriſto generati tanquam cibo confirmantur, & in vita conſeruantur. 5. vt tu ad cordis eius
Gen. 6. intima quaſi per oſtium in latere arcæ intrare valeas. Hoc enim ſolo vulnere aditus nobis in Eccleſiam patefactus eſt, & in cellam vinariam, in ſecreta (inquam) Chriſti myſteria. 6. vt de Chriſti humanitate nihil iam amplius dubitemus, cùm hic quatuor elementa, & quatuor humores vitales aqua & ſanguine ſatis indicatos inueniamus. [Tres enim ſunt, ait Apoſtolus, qui teſtimonium dant in terra]
1 Ioan. 5. humanitatis Chriſti, [ſpiritus, aqua, & ſanguis.] 7. Vt reſurrectio admirabilior appareret, quando ille ad vitam rediret, cuius pectus, & cor militis lancea penetraſſet; & tu de corporis tui reſurrectione nihil ambigeres. Tu huc accede, & de myſtica iſta veraque petra riuos aquarum pro-

profluentes prophetæ consilio hauri, & *Isa. 12.*
tanquam de matris vberibus commodum
tibi nutrimentum suge: rogaque Domi-
num, vt & abluat te aqua lateris sui, &
sanguine refocillet ac nutriat.

Et qui vidit, testimonium perhibuit, & *Ioan. 19.*
verum est testimonium eius, & ille
scit, quia vera dicit, vt & vos creda-
tis. Facta sunt enim hæc vt Scriptura
impleretur: Os non comminuetis ex *Exod. 12.*
eo. & iterum alia Scriptura dicit: Vi- *Zach. 12.*
debunt in quem transfixerunt.

CONSIDERA 1. quæ tria superius dicta
sunt, crura non fuisse Domino fracta; la-
tus fuisse apertum; & exisse sanguinem &
aquam, triplici testimonio comprobari,
Moyseos, Prophetæ, & Apostoli, qui se
oculatũ esse testem, multis verbis declarat,
vt discas, hanc rem esse summi momenti, à
cuius meditatione tu non facile recedas.

Considera 2. quod de agno Paschali in
Exodo mandatũ fuerat, id hoc loco Chri-
sto cõmodè applicari. Ipse enim verus est
agnus, qui tã crudeliter immolatus, abstu-
lit peccata mundi, cuius tu proinde carni-
bus magna celeritate & auiditate debeas
saturari. Quare quæ de esu agni in figura

præcipiuntur, ea ſunt in communione ſacra diligentiſſimè ſeruanda, illudq́ue imprimis cauendum, ne os comminuamus, hoc eſt, ne diuinam eius potentiam ſcrutemur, & ne fraternã charitatem violemus. Sicut enim diuina natura atque maieſtas, quæ in oſſe ſignificatur, nihil eſt mali perpeſſa in cruce: ita in huius Sacramenti cõmunione nihil eſt de diuina potentia vel inueſtigandum curioſius, vel dubitandum. Et ſicut paſſione Dominica ſuas Eccleſia vires auctas ſenſit, non cõfractas, vel ademptas: ita per Euchariſtiæ ſumptionẽ vniri augeriq́. oportet vires, & charitatem Eccleſiæ non debilitari. Conſidera 3. Zachariam Prophetam ab Euangeliſta citatum, de futuro Chriſti ad iudicium aduentu loqui. Tunc enim impij omnes videbunt venientẽ Iudicem ſacris vulneribus inſignitum, bonis quidem, viſcera charitatis ipſis effuſa exhibentem, malis verò auſtero vultu tot peccata quibus ſe confixerunt, & tot beneficia quibus fruſtra affecti fuerũt, exprobrantem. Ora Dominum, vt ad animæ tuæ ſalutem, & conſolationem, ſua vulnera tibi exhibeat.

MEDI-

MEDITATIO XLVIII.

De depositione de cruce.

Cùm serò iam factum esset, quia erat parasceue, quod est ante sabbathum, ecce venit quidam homo diues ab Arimathia ciuitate Iudææ, nomine Ioseph, qui erat nobilis decurio, vir bonus & iustus, qui & ipse discipulus erat Iesu, occultus tamen propter metum Iudæorum.

Mat.27. *Mar.15.* *Luc.23.* *Ioan.19.*

CONSIDERA 1. Christum Dominum, qui hora diei nona, hoc est, post tertiam pomeridianam, spiritum emiserat, duabus vt minimum horis in cruce mortuum pependisse, vt tu & viuum & mortuum crucifixum mentis oculis verses perpetuò, & tantum mortis beneficium nunquam ex animo deponas. Considera 2. à quo & quali tandem viro de cruce deponi voluerit, nempe ab eo, cui opes, nobilitasque & authoritas adderent audaciam postulandi corporis Dominici (erat enim diues, nobilis, & decurio, hoc est, Senator Hierosolymitanus) & quem vitæ integritas Deo

commendaret. Conſidera 3. efficaciam ſanguinis Chriſti, qui viro nobili & meticuloſo addidit animum, palam Chriſtum & confitendi, & ſuis manibus de cruce deponendi. Roga Dominum, vt vires tibi confirmet, ad ea quæ grauia moleſtaque naturæ iudicantur, fortiter perficienda. Conſidera 4. qualem te velit eſſe Chriſtus, vt tibi commendet corpus ſuum, & vt tu illud vtiliter recondas in ſepulchro cordis tui. 1. [diuitem,] non mundo, ne in laqueum incidas diaboli, ſed qui theſaurum habeas repoſitum in cælis. 2. [nobilem,] generoſum filiũ Dei. 3. [Decurionẽ,] quod nomen non eſt hoc loco militare, ſed, βουλευτὴς, hoc eſt, conſiliarius ſeu ſenator, vt tu ad ſalutaria, diuinaque conſilia vitam tuam componas. 4. [Ex Arimathia ciuitate Iudææ,] quæ fuit patria Samuẽlis prophetæ. Arimathia autem excelſum ſignificat, Iudæa confeſſionem & laudem, vt in excelſo cælorum in ſanctorum (inquam) patria, mente verſeris, Deoq́ue peccata tua confitearis, & laudem eius cũ angelis decantes. 5. [Ioſephum,] quod nomen fuit illius patriarchæ, qui nobili põpa patris ſui Iacob olim funus curauit, & ſpon-

ſponſi virginis matris, qui infantulum Ie-ſum virorum primus vlnis ſuſcepit, fouit & educauit. Significat porrò hoc nomen augmentum: vult enim te Deus augeri virtutibus, pietate in Deũ creſcere, & proximis magna ſemper charitate prodeſſe. 6. [virũ bonum,] vt in teipſo ſis inſtructus gratia Dei, vitamq́ue ducas inculpatam. 7. [iuſtum,] in proximos æquum. 8. [diſcipulum Chriſti,] cuius doctrinæ & inſtitutioni te tradas. 9. [occultum,] vt metu dęmonum, qui bonis operibus inſidiantur, tua neque iactites vnquam, neque ad vanam gloriã referas. Ora Dominum, vt his præditus conditionibus, ſacrum ipſius corpus digna mente ſuſcipias.

Hic non conſenſerat conſilio & actibus eorũ, quia expectabat & ipſe regnum Dei. Hic audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu. Pilatus autem mirabatur ſi iam obiiſſet. Et accerſito Centurione interrogauit eum ſi iam mortuus eſſet, & cùm cognouiſſet à Centurione, permiſit, & iuſſit reddi corpus Ieſu.

Luc. 23. *Mar. 15.* *Mat. 27.* *Ioan. 19.*

CONSIDERA 1. alias quatuor Iosephi conditiones quas te conuenit imitari, si velis tibi concredi vtiliter corpus Domini. 1. non consentire actibus & consilio impiorum. 2. expectare regnum Dei, & ad cælestem patriã anhelare. 3. constanti animo ea perficere, quæ Dei gloriam promouent. 4. petere corpus Iesu, hoc est, nunquam à mystico Christi corpore Ecclesia separari, & magna deuotione ad sacrã Eucharistiæ communionem ferri. Considera 2. quantum cõferat homini, malorũ consortia & consuetudinem vitare: quisquis enim declinat à malo, non is magna difficultate inducetur vt faciat bonum. Considera 3. illi maximè fugiẽdos esse malos, qui expectat regnum Dei. Tu itaque si ad hoc regnum aspiras, mundũ quantocyus fuge, & quidquid est in mundo. Docet
1 Ioan. 2. enim B. Apostolus, in eo præter concupiscentiam carnis, & oculorũ, ac superbiam vitæ nihil reperiri. Considera 4. Pilati admirationem, ex qua intelligis, Dominum grauiora multo pertulisse, quàm vel explicuerint Euangelistæ, vel mẽs nostra cogitatione assequatur. Cùm enim subinde ad totum triduum crucifixorum produceretur

ceretur vita, Christus autem non multum vltra tres horas in cruce vixerit, satis liquet, plura illi inflicta fuisse, quã pro communi more crucifixorum. Tu gratias ages largissimæ liberalitati sponsi tui; & te vicissim in eius amorem & obsequium effundes. Considera 5. à Pilato homine Ethnico peti sacrum corpus Domini Iesu, ne mireris idem sacrum corpus, aliaque diuina mysteria in Ecclesia nonnunquam malis committi distribuenda. Ora Dominum, vt sic tibi corpus suum tradat, ne id vllo vnquam vitio tuo à te auferatur.

Ioseph autem mercatus sindonẽ mundam, tulit corpus Iesu, & deponens inuoluit illud in sindone munda. *Mar. 15. Mat. 27. Luc. 23. Ioan. 19.*

CONSIDERA 1. quanta veneratione pius iste Senator ad crucem accesserit, manibus ipse suis & clauos euulserit, & sacrum corpus de cruce abstulerit, accurrentibus fortè in auxilium Ioanne & mulieribus, & præcipuè matre Domini; qui omnes propius accedẽtes, & sacrum vultum, in quem Angeli desiderant prospire, contemplantes, quas voces emittunt? quos singultus edunt? quas fundunt lachrymas? Tu matrem aspice manus attol-

lentem, & filij corpus à Ioſepho grauiter poſtulantem, & reuerenter ſuſcipientem. Virgini te adiũge, ſingulaq́. vulnera deflẽtem ſolare. Licet enim præter parentum morem, à turpi ſibi eiulatu, geſtibusq́ue muliebribus temperaret, internum tamen animi dolorem, acutiſſimumq́ue gladium percipiebat. Conſidera 2. emptam à Ioſepho ſindonem mundam, cui inuolueretur corpus Domini Ieſu. Hæc tibi ſit mũda conſcientia, quam nummo pœnitentiæ emptam, ad Chriſtum excipiendum accommodabis. Conſidera 3. nullam hic fieri miniſtrorum mentionem, quia viri ſancti ea per ſe curant, quæ ad Deum pertinent; per miniſtros autem tractant negotia temporalia huius vitæ; & contra homines improbi per vicarios miniſtrant rebus diuinis, per ſe dediti ſunt rebus externis. Cæterùm caueant iſti, ne per vicarios obtineant æternam gloriam, per ſe autem deturbentur in gehennam. Ora Dominum, vt de conſcientia tua dignum faciat ſui corporis inuolucrum.

Fig. Aaron complet hostias pro peccato et holocau[illegible] et pacificas [illegible]

MEDI-

MEDITATIO XLIX.

De sepultura Domini.

Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloës, quasi libras centum. Acceperunt auté corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. *Ioan. 19.*

CONSIDERA 1. quantum Nicodemus ex hoc Christi effuso sanguine profecerit. Prius veniebat ad Iesum nocte, *Ioan. 3.* nunc palam; tunc præter quæstiones & verba nihil afferebat, nunc preciosa aromata portat, & officium exhibet sepulturæ; vt discas tu in virtutibus progressum facere; omnemque metum & turpem verecundiam discutere. Considera 2. neutrum accessisse muneribus vacuum. Nam Iosephus linteum, & nobile sepulchrum dedit: Nicodemus myrrham & aloën magnâ copiâ tulit ad obsequium corporis mortui; 1. ne tu cum Iuda dicas, vt quid *Mat. 26.* perditio hæc? quando ad Dei cultum vi-

deris multa impendi . 2. vt horum exemplo etiam tu munera Christo pro te mortuo deferas, eiusque honori labores tuos consecres. Considera 3. quid officij ab his præstitum sit sacro corpori Domini tui. 1. iam de cruce depositum, cum matre Iesu omnes illud venerabundi aspiciunt, attentis animis oculisque contemplantur: quas fuderint lachrymas, quid dixerint, quid cogitarint, præsertim sanctissima mater Domini, hic iterum tecum expende attentius; vanoque deposito metu, accede propius; voces, precesque tuas cum illorum vocibus iunge. Vide cauernam hanc maceriæ, vulnus (inquam) in latere; contemplare foramina petræ, quatuor manuum pedumque vulnera; aspice spineam coronam, sacro capiti etiamnum infixam, multis ramis intextam: (sicut videre est Parisiis in sacra capella regia, vbi magna veneratione asseruatur.) Iam corpus ipsum considera vibicibus liuidum, vulneribus lacerum: & ora Dominum, primò quidem vt te occultet in his foraminibus petræ, & in hac cauerna maceriæ, ne quid aut velis vnquam aut cogites, quod ad gloriã crucifixi non conducat. Deinde verò, vt te ipse nun-

nunquam reſpiciat,niſi per has manuum, pedum, ac lateris quaſi feneſtras;neq. proſpiciat,niſi per hos cancellos,nempe totius corporis & capitis plagas : per hæc enim non poterit niſi miſericordiæ oculis intueri. 2. ſpineam coronam de capite depoſuerunt,& implicatam comæ, ſpinasq. oſſium iuncturis & carni inhærentes fortè non integras eduxerunt. Adhærebant ſputa, ſanguinis guttæ, & iniectæ ſordes, quæ omnia in ſubiecta pelui reuerenter abluerunt. 3. ſanctum Domini corpus more Iudæorum ſummo honore aqua lauerunt, ſordesque omnes, vt ſacras venerandasque reliquias, collegerũt,& magna cura aſſeruauerunt; quæ temporis deinde ſucceſſu concreta, & in maſſam redacta ſanguineam,admiſto hinc inde aqueo colore, ſuis Brugenſibus in Flandriam Balduinus Rex Hieroſolymorum ex Palæſtina per Abbatem S. Bertini tranſmiſit : Brugenſes porrò ſumma induſtria, adiuuante Deo, Geuſeorum furori ereptum hunc ſuum theſaurum & aſſeruant diligentiſſime, & ſanctiſſimè venerantur. Cant. 2.
4. Corpus linteis inuoluerunt, & aromatibus condierunt, & pro Iudæorum conſuetu-

ſuetudine quaſi immerſerunt. Tu ſingula obſerua, & in tuam conuerte vtilitatem. Ligatur Dominus qui ligatos ſoluit; ligantur manus, ne te puniant; ligantur pedes, ne ad vindictam properent; velatur ſudario vultus, ne peccatorum tuorum aſpiciat fœditatem. Ora Dominum, vt ſecum te aromatibus virtutum condiat, & conſepeliat.

Ioan. 19. *Luc.* 23. Erat autem in loco vbi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentum quod exciderat Ioſeph in petra, in quo nōdum quiſquam poſitus erat.

Mat. 27. Ibi ergo propter Paraſceuen Iudæorum, quia iuxtà erat monumentum,

Mar. 15. poſuerunt Ieſum. Et aduoluit Ioſeph ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abiit.

Considera 1. Chriſtum Dominum non inhumatum relinqui, ſed more aliorum ſepultura donatum: 1. vt pro te nihil eorum quæ ad homines pertinent prætermiſiſſe videatur. 2. vt ei conſepultus, quæ in mundo geruntur, neque ſcias, neque aduertas. Conſidera 2. ſepulchrum

Iſa. 11. Domini à propheta prædictum fore glorioſum. Triplex autem eſt Domini ſepulchrum,

chrum, in quo reuera Christus Dominus requiescit. 1. hoc ipsum sepulchrum de quo nunc agitur, quod excisum in petra nobili viro asseruabatur. Gloriam addit huic sepulchro, quod duo senatores, viri clarissimi, alter etiam magister in Israël, & legis doctor, suis ipsi manibus sepulturæ officia obierunt; quod soli iusti & sancti Christi sacrum corpus attigerunt; quod magnis impensis vnxerunt, & condierũt. 2. in Ecclesia vbi verũ corpus Dominicum sub specie panis aridi & immoti, viuũ illud quidé, sed quasi mortuo simile retinetur. Sepulchri vices præbẽt vasa aurea, argenteaq. quibus sacra Eucharistia asseruatur. Estq. sepulchrũ hoc gloriosum, quia quicquid honoris & glorię exhiberi ab homine potest, hoc æquũ est à nobis Dominico corpori semel pro nobis mortuo deferri. 3. Corda corporaq. nostra, quibus sacram hostiam cõmunicantes recipimus, sepulchrũ Domini iure dici possunt. Quoties enim hunc panem cælestem manducamus, Domini mortem & sepulturã hac ipsa actione annuntiamus, declaramusq. Sit porrò hoc sepulchrũ gloriosum, nempe diuina gratia illustratum, & virtutibus orna-

Ioan. 3.

1 Cor. 11.

Psal. 44. ornatum, quia omnis gloria filiæ regis ab intus, & ipse Dominus aduentu suo animæ nostræ maiorem addit splendorem. Considera 3. qua pompa funebri delatus sit Dominus ad sepulchrum, deferentibus sanctis viris, prosequente matre Domini cum sacris mulieribus & discipulo Ioanne. Quoties itaque in supplicatione deferri sanctam Hostiam videris, cogita te hoc Christi corpus ad sepulturam prosequi; illíusque passionis & mortis memor, tuas illi & Reipub. necessitates per hanc mortem commenda. Roga porrò Dominum, vt cordi tuo det petræ & rupis firmitatem, in eoque sibi paret sepulchrum, *Cant. 1.* vbi cubet in meridie, æstumque tentationum tuarum pius cohibeat.

Mat. 27. Erant autem ibi Maria Magdalene, & Maria Ioseph, sedentes contra sepulchrum, & mulieres quæ cum eo ve-
Mar. 15. nerant de Galilæa; & subsecutæ aspiciebant, vbi poneretur corpus Iesu:
Luc. 23. & reuertentes parauerunt aromata & vnguenta: & sabbatho quidem siluerunt propter mandatum.

CONSIDERA 1. dolorem cũ cæterarum mulierum, tum matris Christi,

quando

quando iam à conſpectu tam ſuauis Domini auelli debebāt. Virginis matris nulla hic mentio fieri videtur, non quòd abfuerit, ſed quòd, quæ morienti aſtitit, ab hoc officio abeſſe nõ potuerit. Cõſidera 2. mulieres iſtas è regione ſepulchri ſediſſe, & quicquid gereretur, diligenter inſpexiſſe. 1. vt in anguſtiis tuis ad Chriſti ſacrã Euchariſtiam confugias; & tanquam ad Domini ſepulchrũ conſiſtens, eius doloribus morteque meditata & exſpenſa, moleſtias tuas omnes exponas, afflictionumq. tuarum remedium & cõſolationem accipias. 2. vt tu cum his mulieribus aſpicias, vbi ſit poſitum corpus Ieſu. 1. [in horto.] tum quia morte Domini patet ad hortum deliciarum reditus, vnde nos Adami peccato excideramus; tum vt tu Dominum tuum non niſi in floribus virtutum recondas. 2. [in monumento nouo.] tum quia omnia in te cupit noua. Non enim infunditur vinum nouum in vtres veteres; tum quia venit innouare omnia. 3. [in quo nullus vnquam poſitus fuerat.] ne videlicet non Chriſtus, ſed alius à mortuis reſurrexiſſe diceretur; tuq. alteri in ſepulchro cordis tui requiem ne parares. Docet enim *Mat. 9.*

quod

quod te totum solus Dominus velit possidere; quodque in anima tua regni consortem non patiatur. 4. [in saxo,] tum vt omnis suspicio, furto sublati corporis tolleretur; tum quia ex hoc iam tempore in saxea pectora Gentilium & peccatorum penetrare decreuerat. 5. [in alieno,] vt laudatam in vita toties paupertatem post vitam quoque commendaret. cuius enim mater propriũ non habuit vbi filiũ natum collocaret; quique in vita non habuit vbi caput reclinaret; mortuus quoque in alieno est sepultus. Deinde qui non pro suo delicto, sed pro alieno mortuus fuerat, hũc non in suo, sed in alieno decuit sepeliri. 6. [in loco vicino,] tum ne quis furto ablatum calumniaretur, si procul abfuisset; tum quia & viuus & mortuus vult à suis non abesse Dominus, sed versari in medio populi sui. 7. [in sepulchro hominis iusti,] tum quia mortuus est, vt nos iustitia donaret; tum quia à nemine in sacra communione suscipiendus est, nisi ab homine iusto. Considera 3. mulieres postridie siluisse, hoc est, quieuisse ab officio, propter mandatum, quo nobis obedientię virtus commendetur, quæ subinde etiam
Deum,

Deum, sed propter Deum monet esse deferendum: hoc est, nonnulla quandoque pietatis officia & diuinas cõsolationes superioris mandato relinquẽdas. Orabis itaque Dominum, vt qui obedientiã ad mortem vsque coluit, eius virtutis tibi concedat perfectionem.

MEDITATIO L.

De custodia sepulchri.

Altera autem die quæ est post Parasceuen, conuenerunt Principes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum dicẽtes: Domine recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc viuens, pòst tres dies resurgam: Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium, ne fortè veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi, surrexit à mortuis, & erit nouissimus error peior priore. *Mat. 27.*

CONSIDERA I. quale fuerit studium horum hominum in sabbato, & quidem in tanto sabbato, in quod inciderat solennitas Paschæ; nempe vt obscura-

rent gloriam Chri[illegible]
[illegible], & quo die cum Deo-
loquendum erat, agunt cum homine prophano: quos tu nō rarò imitaris, qui te rebus externis occupas.; quando vel Sacramenta sunt pertractāda, vel quiduis aliud cum Deo agendum. Considera 2. non nominari Sabbatum, sed alteram diem post Parasceuen, 1. quia vera Sabbati & Paschæ celebritas noua Christi resurrectione erat in sequentē diem transferenda. 2. quia festi dies peccatis prophanati, non sunt peccatoribus festi vel vtiles, sed infesti potius & prophani. Considera 3. [Domine.] qui Messiam recusarunt Dominum, suo sanè merito vilem idololatrā pro Domino suscipere coguntur. Nam illi diabolus & mundus erit Dominus, cui non dominatur Christus. Considera 4. Christum ab impiis seductorem appellatum; conatur enim etiam hodie per ministros suos persuadere diabolus, Christum esse seductorem, eosque ad errores aut ad mala seductos, quos Christus vel ad orthodoxam fidem conuertit, vel ad perfectius viuendi genus est cohortatus, cùm tamen neminem seducat Christus; sed à spaciosa via inferni, ad angustam semitam æternæ vitę tradu-

Theophyl. in Mat. 27.

traducat. Considera 5. timeri ab impiis Christum etiam mortuum; quanto magis igitur timebitur viuus, & cum maiestate veniens, viuos & mortuos iudicaturus? Discis hic duplicẽ timorem Dei, alterum in Centurione, cæterisque qui reuertebantur percutientes pectora sua, & metu malorum imminentium, de vitæ emendatione cogitabant; alterum impiorum, qui Dei consilia conantur infringere: & hic metus est dęmonum, eorumque omnium qui Deo aduersantur. Considera 6. malorum contra Deum sollicitudinem Christi gloriam promouisse. Nam hac eorum sollicitudine rumor prædictæ à Christo resurrectionis latius spargebatur, & spem expectationemque eius faciebat multis, & omnem quoque adimebat suspicionem furti, postquam tam diligens esset adhibita militum custodia. Considera 7. metui ne à discipulis Christi corpus furto tollatur. Tu illud palam accipe, quia tibi datum est, tibi natum, tibi passum: rogáque Dominum, vt neque à te ipse recedat, neque se per quemuis à corde tuo patiatur auferri.

Mat. 27. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite custodite sicut scitis.

CONSIDERA 1. Pilatum, qui semel cum Iudæis in Christi mortem consenserat, nunc eis dare custodiam, hoc est, præsidiarios milites, ad custodiam ciuitatis deputatos: quisquis enim semel malorum voluntati cōsensit, non is facilè ab eorum se imperio aut importunitate subducet: quod experiuntur illi, qui illicitis muliercularum amoribus sunt impliciti; & dæmon quoque semel admissus redigit homines in miseram seruitutem. Considera 2. Pilatum, qui prius Christi causam diligenter egerat, nunc cum Iudæis contra Christi gloriam conspirare. [Ite (ait) custodite sicut scitis,] hoc est, omnem adhibete in custodiendo diligentiam: facilè enim ex vno peccato sic labitur homo in alia, vt author aliis fiat, incentorque malorum. Considera 3. Pilato resurrectionis mentione incussum esse timorem vel populi inconstantis, vel Cæsaris, sine cuius iussu insontem damnauerat. Hic enim est fructus peccati, vt metum, sollicitudinem & inquietudinem addat. Tu ergo à pec-

catis

catis caue, & secura pacataque conscientia Deo gratias age.

Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus. *Mat. 27.*

CONSIDERA 1. diligentem sepulchri custodiã. Primò enim saxum ipsum sigillo munierũt, ne qua fraus à militibus fieret. Secundò, custodiam adhibuerunt, hoc est, militum numerum satis copiosum, tum ne à Christi fautoribus vis inferretur, tum ne pauci somno oppressi, furto locum darent. Considera 2. Christum hanc tantam diligentiam industriamque permisisse, quo certior esset resurrectio & illustrior, quę etiam hostium testimonio probaretur. Discis 1. in Christi sepulchro admirabilem reconditum esse bonorum thesaurum, omnibus tibi modis conseruandum. 2. cor tuum in quo Dominus requiescit, quàm vigilantissimè esse custodiendum. 3. impios tibi metuendos non esse, qui suis persecutionibus nihil præstant aliud, quàm vt latentem in anima tua thesaurum custodiant, ne qua fortè superbia vel vanitate surripiatur. Consi-

dera 3. impiorum ſigna nihil eſſe præter impuras maculas, quibus mundas alioqui creaturas Dei inficere conſueuerunt. Tu Chriſti ſigillo ſigna cor tuum: illumq́ue roga, vt cuſtodibus Angelis, te in ſua fide obſequioq́; conſeruet: quam eandem tuis mihi precibus benignitatem Dominus largiatur.

Laus Chriſto, Virginiq́ue Matri,
Ad maiorem Dei gloriam.

APPROBATIO.

Hæ Dominicæ Paßionis Meditationes exactißimæ, igneamq́; deuotionem ſpirantes copioſißimè, tanquam efficacißimum mundi renouandi, adq́; meliorem vitam reducendi pharmacum ſingulare, cum vberrimo fructu omnibus communicandæ, legendæ ac relegendæ, (quod ô vtinam præſtetur ab omnibus) prœlo committentur. Datum Antuerpiæ 10. Cal. Febr. 1587.

Silueſter Pardo, S. Theologiæ Licenciatus, Cathedral. Eccleſ. Ant. Canonicus, Librorumq́ue Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM est Priuilegio Regis, ne quis præter Christophorum Plantinum intra annos quatuor *Meditationes quinquaginta de vniuersa historia Dominicæ Passionis, Auctore R*do*. P. Francisco Costero, Doctore Theologo Societatis Iesu*, typis vllo modo excudat, aut alibi excusas in hisce ditionibus distrahere audeat: vti latius patet ex litteris. Datis Bruxellæ, 26. Ianuarij. Anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo septimo.

Subs.

I. de Witte.

Figura

De Christi ascensu ad limbum ad liberandos patres

Moyses educens populum Israeliticum ex terra Aegipti
diuisit virga sua mare rubrum; sicque vniuersus
populus sicco vestigio mare pertransiit; Pharao
vero et omnes inimici eorum aquis submersi perie-
runt. Prophetia Psal 106
Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis et vincula
eorum disrupit quia contriuit portas æreas et vectes
ferreos confregit
Zach 9 Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti
vinctos tuos de lacu in quo non est aqua

[illegible] gloriosa resurrectione domini

[illegible] Petrus [illegible] [illegible]

[illegible] [illegible] est [illegible]

Judic. 16

[illegible] Samson in civitate Gaza et [illegible]

[illegible] [illegible] apprehenderent [illegible]

[illegible] Propheta Psal. 3

Ego dormivi et soporatus sum et exsurrexi [illegible]

[illegible] Psal. 3

[illegible] non derelinques animam meam [illegible]

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] gloria mea [illegible] psalterium et [illegible]

[illegible] [illegible] mihi tribulationes [illegible]

[illegible] [illegible] me de [illegible] Psal. 70

[illegible] [illegible] post duos dies [illegible]

[illegible] [illegible]

[illegible] inimica mea super me quia [illegible]

[illegible] consurgam cum sedero in tenebris [illegible] Mi[illegible]

Quomodo CHRS dns apparuit Maria [illegible]

Prophetia Threni 1

[illegible] ego plorans et oculus meus deducens [illegible]

[illegible] longe factus est a me consolator [illegible]

